

ARCHIVIO

ACM

3

1

90

PADRI SOMASCHI

CASA MADRE

SOMASCA

— SOMASCA —

1751


ARCHIVIO
 ACM
 3
 1
 90
 SOMASCA

PADRI SOMASCHI
 CASA MADRE

*x. Deby
 Lib.
 An.
 O.*

*Congreg. i. nat. de
 nunc p. ...*

*Ex libro P. Arguam
 G. R. S.*



18

ARCHIVIO
 SOMASCA
 CASA MADRE





B. HIERONYMUS ÆMILIANUS
Patrici Venetius Congr. Somaschæ Fundator.

18
B. HIERONYMI
ÆMILIANI
PATRICII VENETI

Regularis Congregationis Somaschæ
Fundatoris

ADMIRABILIS VITA

*Facili ad faciliorem captum, ac progressum
Elegiaco carmine descripta, & distincta
capitibus, quæ opportuno singula
documento concluduntur,*

ARCHIVIO
SOMASCA
CASA MADRE

A JOANNE HOCHER
Ecclesiæ Patriarchalis Canonico.

15

VENETIIS MDCCLI.

Apud Sebastianum Coleti.
Superiorum Permissu, & privilegio.

B. HIERONYMI
AEMILIANI

GIOVANNI HOCHER

autore della

ADMIRABILIS VITA BEATI HIERONYMI AEM....
Venetiis MDCCLI

era canonico della chiesa patriarcale di
S. Pietro di Castello, morì il 17 marzo 1757
in età di 84 anni; sepolto nella chiesa dei
Padri Domenicani delle Zattere.

(da Moschini: Letteratura veneziana tomo 2°

15

VENETIIS MDCCLI
Apud Sebastianum Goddard
Superintendentem Typographiae & Bibliothecae

Illustriss. ac Reverendiss. D. D.
ALOYSIO FOSCARI
PATRIARCHÆ VENETIARUM, &c.



*Exhibus Argumenta meis HIERONYMUS esse
Gesta sua illustri splendida laude finit.
Vite exempla diu meditatus carmine scripsi,
Que laudanda canam, quæque imitanda sequar.*
Præ-

Præsulis ac celsi, meritum venerata, Camena
Majestati offert, quod decet, obsequium.
Excipe quæso libens, Veneti Gregis optime Pastor,
Hoc opus, auspiciis pergat ut inde Tuis.
Cui potius tradam servato jure Libellum,
Ut magni pavidum Nominis umbra tegat?
Iste Viri celebrat Merita, & decora alta Beati,
Quem nitidum radiis elevat Ara novis.
Tu a Patre exortum, studiis, Pietate coruscum,
Præcipuo Cæsum, Pastor, amore foves.
Nempe Tuos inter, dignatus honore, recenses,
Quos dat Somasche Relligiosa Domus.
Jure quidem, illorum meritis nam præmia reddis,
Quæcis ardor pro Te pectora sollicitat.
Revera Te horum studio bene culta coronant,
Quæ assurgunt Horto, Germina læta, Tuo.
Ergo metu posito Tua dat Clementia robur,
Ferre audet parvum quo Tibi Musa Librum,
Quæ Tua sunt, Tibi debentur. Feliciter utor
Omne, quod placeat, Nomine, quod faveat.
Nec tale, ac tantum celebrant mea Carmina Nomen;
Nam Tibi stat laudum, cum merearis, bonos.
Cum Tua sit Pietas toti spectabilis Urbi,
Mens parva in laudes audeat ire Tuas?
Ipsa sibi pretium Virtus; at cognita, majus.
Laude magis, merito qui potiore, nitet.
Si & possim laudare, vetas Tu fronte modesta,
Cui sola laudis suspicione rubor.
Vidi ego, formosas quoties exarsit in iras
Flammanti auditis laudibus ore pudor.
Ut mereare magis, nunquam meruisse fateris,
De Te Tu sentis infima; at alta homines.

Hoc

Hoc liceat tantum a superis Tibi fausta precari
Langevas animo vaticinante dies.
Præsulis o mores utinam gens cuncta sequatur,
Plus trahat Exemplum, quos regit imperium.

Humillimus, Addictiss. Obsequentijs. Familias
Jo: Hocher.

AD

AD LECTOREM.

HÆc quicumque legis, celsa vir prædite mente,
Utere, posco, æqui iudicis officio.
Siquid displiceat, veniam concede Senectæ,
Quæ incessu torpet, sed magis ingenio.
Fige tamen documenta sinu, quæ sparsa Libello;
ÆMILIANI Actus, quos imitere, colas.
Ac jam prævenio Historiæ a Te Exempla legendæ;
Ut breviter sumas, quas tenet illa, notas,
Peccasti? Horrescas. Ad opem pia virgo vocetur.
Si renuas penis, pleste nefas lacrymis.
Fac, caveas fragili discrimina lubrica cordi.
Atque dolens credas non doluisse fatis.
Nec lat, quod doleas. Redimas peccata merendo;
Sumendum, veniam quod mereatur, opus.
Idque placere Deo certum est, quod profit egenis.
Non pacem, ac Cælum poscat avara manus.

Ad eundem.

E tribus, o Lector, claris Auctoribus hausit,
Exhibitum quidquid continet, Historia.
Si quædam variata, una est substantia rerum.
Quod veri simile est, addere Musa solet.
Plura fides humana refert. Certissima tantum,
De folio veniant quæ rata Pontificis.

GA

BEA.

BEATI

HIERONYMI ÆMILIANI

VITA.

CAPUT I.

De B. Hieronymi ortu, & primæ Juventute.

Sortitur patriam celebratam Hieronymus Orbe.
Urbs Veneta, Adriacis quæ dominatur aquis,
Patriciæ traxit genus altum a sanguine gentis.
Celsa micat utulis Æmilianæ domus.
Et nomen Patris Angelus. Hujus nominis omnia
Inde ratum fecit filius Angelicus.
Deque Dianoræ Maurocenæ ubera matris
Infans quod luxit, lac pietatis erat.
Subrepisse ferunt, annis quæ noxia primis;
Virtuti infestas incaluisse faces.
Laus errasse tamen; pulchro nam purior auro
Culpa nitet lacrymis irradiata suis.
Gemma specu sordet cæno: deterfa coruscat,
Ac rutilat variis arte posita modis.
Id caveant juvenes, ne libertate potitis
Pes vagus obliquo tramite flectat iter.
Ocia sectanti unum est non incedere caute,
Incidere in structos Dæmonis arte dolos.


A

CAP. II.

C A P. II.

De Infortunio ipsi salutari.

S Ex ut Olympiadas juvenilis vita peregit,
 In melius traxit regula consilium.
 Incipue instruxit mores miserandus acerba
 Adversa fortis conditione dolor.
 Dum bellum, exitiumque simul minitancia jurant
 In Venetos sociis fœdera Principibus,
 Præfider obiectæ turmis HIERONYMUS Arci:
 Qua capta miserum ferrea vincla premunt.
 Solis luce caret damnatus carcere cæco;
 Ast pura erectæ lumina mentis habet.
 Fallaces Zephyros, male cærule fida carinis
 Novit, & incertis flatibus ire vices.
 Novit divinis obnoxia crimina telis.
 Præruptas facilem se tenuisse vias.
 Siquis lapsa dolet de Cælo spicula, discat,
 Quod Deus in melius concurit igne suos.



C A P. III.

De Voto Sanctiss: Virgini oblato.

(spes
T Empore tam duro quid agas, HIERONYME? Quæ
 Assurgat, curas imminuatque graves?
 Desperanda salus: Sævas magis ardet in iras
 Hostilis rabies exitiosa tuis.
 Ingemit hæc meditans: Onerosis cincta catenis
 Crura, manusque trahens deficit egra caro.
 Exagitant alimenta famem vel fœda, vel arcta
 Unda sitim excruciat, quæ venit empta prece.
 Tunc subit excelsæ matris dulcissima Imago,
 Quam Tarvisina urbs poplite prona colit.
 Prodigijs cumulata novis, ac mille tabellis
 Pulchra auro ac gemmis emicat ara frequens.
 Virgo Parens, (clamat) miseris fidissima mater,
 Excipe submissus quæ tibi, vota, fero.
 Pœnitet errorum. Emendatum videris æde
 Tarvisina, hinc me si pietas retrahat.
 Quæ insanum vexant, sæpe infortunia sanant:
 Vulnere sunt cordi: balsama sunt animæ.

C A P. IV.

*De insigni Beatissimæ Virginis Mi-
raculo.*

ADfuit oranti pia Virgo fronte serena;
 Ac libertatis dona ferente manu.
 Scilicet infregit stringentia vincula corpus,
 Pectore & amovit, quod grave gestat, onus.
 Dein claves præbet, reuerato ut carceris antro
 Inveniat facilem, qua licet ire, fugam.
 Tunc juvenem exultantem animo, lacrymiq; madentem
 Reddere amor grates, quo decet, ore monet.
 Virgineum instrumenta refert testata favorem:
 Cælica facta fidem, quo mereantur, habet.
 Ac (mirum!) somno vigili custode sepulto
 Clavis jam victo limine pandit iter.
 Discite vos, quos cura premit. Prece quærite Matrem.
 Non aliter porrum naufraga puppis adit.



C A P. V.

De secunda Sanctissimæ Virginis gratia:

Lætus abit Castro; ast heu! descensurus ab alto
 Monte, metu pallet: concutit ossa tremor.
 Arma corusca videt: videt hostilem ire phalangem;
 Quæ errabunda imis occupat arva locis.
 Quo pacto hæc fugiat majora pericula primis?
 Irato metuit, jam sibi ab hoste necem.
 Rursus in auxilium Dominam vocat æthere cælo;
 Et dictis repetit fervida vota novis.
 Quæ libertatis per te, concessa precanti,
 Quæso (inquit), Mater, gratia ne pereat.
 A te servatum teneat te cura tueri:
 Si dedit hoc pietas, præstet & incolume.
 Accurrit: ducitque manu prope mænia Virgo,
 Provida, ne hostilis sæviat ense furor.
 Cernere ne juvenem, neu quis contingere possit;
 Densa nube regens ad loca tuta trahit.
 Fidas materno, quoties cura urget, amori.
 Terque, quaterque petas. Tædia non patitur;



C A P. VI.


De voto Sanctissimæ Virgini persoluto.

J Am tandem felix vinculis, curisque solutus
 Tarysinæ urbis limina amica tenet.
 Proinus accepto, alta quod stat mente repostum,
 Pro duplici ut reddat munere vota memor,
 Festino pede, corde magis se contulit illuc,
 Surgit ubi excelso vertice sacra domus.
 Matri sacra domus; cuius vix atria cernit,
 Profusis lacrymis immaduere genæ.
 Uique moræ impatiens oculis quærentibus aram
 Invenit, unde micat Virginis effigies:
 Salve Sancta Parens (clamat), Geminata salutem
 Mirandis famulo dona tulere modis.
 Quas referam grates? Nec sat, si sanguine fuso.
 Post Gnatum vivat vita redempta tibi.
 Quæ affigo, instrumenta decet supplere tabellas,
 Æterna ut tantum Fama loquatur opus.
 Cætera, concepit quæ animo, quæ protulit ore,
 Venturis pandet charta legenda notis.
 Vos, queis concessum promissis flectere Numen,
 Nulla mora; Exemplar solvere vota docet.

C A P. VII.

De Novitate Vitæ melioris.

UT solvit votum, ad Patriam diversus ab illo,
 Qui cultu juvenis luxuriante, redit.
 Nam memor elapsi bene consulit ipse futuro
 Tempori, & ad mores colligit ingenium.
 Purgata adversis, meritis sic vita coruscet,
 Ut purgante, aurum, quod calet igne, nitet.
 Tanto virtutis fervent primordia motu,
 Rem grandem ut cursu progrediente parent.
 Nec juvenem capiunt ingrata oblivio corde,
 Exigat obsequium quominus alma parens.
 Inspicit hanc: fovet hanc devoto pectore: totum
 Se dedit officio, subdidit imperio.
 Sic probat instantem vere cupidumque salutis
 Mens studiola novum suscipientis iter.
 Ergo alacer vere incipiat, cui vera voluntas,
 Cælicus ardor abit, si mora pigra tenet.



C A P. VIII.


De Regimine Castris Novi in Finibus
Fori Julii, ac de Reditu in
Patriam.

Compositis rebus firmata pacè receptum est
 Ex pacto, Venetæ quod ditionis erat.
 Castris exinde Novi, decreto Hieronymus alto
 Triste prius, rursus mittitur ad regimen.
 Quod fuit ante labor, merces fit honesta laboris,
 Quam ad plures annos huic statuere Patres.
 Mula quid hic memoret? Celebrent quas carmina laudes?
 Consiliis superum dirigit, & regitur.
 Ducitur auspiciis, pietas quæ detulit. Ædes
 Ni sacra poscenti suggerat, Aula silet.
 Verius exemplis, quam vocibus imperat. Ipse
 Lex sibi, dat leges moribus inde suis.
 Cecidit improbitas virtuti robore adauxto.
 Verum adeo gentem ducere facta Ducis.
 In chra novis octava ætas flavescit aristis.
 Nuncius illacrymans funere Fratris adest.
 Potius ad mæstos statuit remeare penates,
 Nam Patrum Proles trina tenella premit.
 In pendenda luis, quæ a Christo impenia parentis,
 Cura. Hæc naturæ lege tenetur amor.

C A P. IX:

De Nepotum Educatione


Sic Neptis geminæ se, tutoremque Nepotis
 Exhibet, ut Patris suppleat ipse vices.
 Primæ ætas studiis, sed plus pietate calefcatur.
 Prima rudi virtus hæreat ingenio.
 Hoc opus, hic labor ipsi: aquilæque simillima imago
 Pullos luce probat, solis & ante fidem.
 A se non genitos sibi natos novit: & inde
 Non impar Patruus fervet amore Patris.
 Imo Pater meliore modo sic semina jactat,
 Ut Cælo pueros se genuisse velit.
 Exemplo monstrante viam morum ipse magister
 Urget, doctrinis alter ut instituat.
 Discite vos, Patres: Tutores discite, quanta,
 Quis primæ ætatis regula habenda modis.
 Fructifera est corde annis primis insita virtus.
 Lethifera est vitii consita mente lues.



C A P. X.

De Proposito suscipienda etiam Orphanorum cura.


Provida egere suos dum cernit regula, egenis
 Quæ (inquit) vita, quibus desit uterque parens?
 Ocia sectantes, nulloque regente magistro
 Procedunt annis, plus vitis adolescent.
 Nulla verecundo contacta modestia amictu
 Per tritas cohibet scandala fæda vias.
 Ludis, atque gulæ indulgent: non arte parandos
 Sæpe cibos quærunt furta premente fame.
 Blasphemi insultant rixis: cumulataque culpa
 Carcere eos tumulat, vel perimit laqueo.
 Vix confusa fides; fidæi nam dogmata sacra
 Aure nec excipiunt, nec data mente tenent,
 Vera ergo Pietas simul hos servare puellos.
 Lex confanguineos debita nosse suos.



C A P. XI.

De Orphanorum Educatione.


Colligit ex tota pueros Hieronymus Urbe,
 Queis propere Patres abstulit atra dies:
 Queis desunt alimenta, domus, tutela suorum,
 Et qui nulla errant auxiliante manu.
 Destinat hospitium conducta providus æde.
 Detinet: educat hic: hic alit ære suo.
 Erogat opportuna Viro stipendia, Christi
 Dogmata qui tradat, moribus instituat.
 Præcipit inde, suos ut servet turba Magistros,
 Qui arte aliqua mentes, erudiantque manus,
 Duplex hinc meritum geminato munere egenis
 Consulere in præsens, prospicere in reliquum.
 In reliquum. Ocia dum caveant, sic crimina vitant.
 Reddit lucra labor: mensa labore sapit.



C A P. XII.

De Charitate erga Pauperes cuiuscumque generis :

NEc sat tutari, careant qui utroque parente,
 Pondus, quot casus fors ferat, ille subit.
 Siqua Domus lævæ patitur dispendia sortis,
 Accurrit cauta nocte silente manu.
 Atque mali quodcumque genus miseratus egenti
 Viribus aptandam præstat amicus opem.
 Quid non cogit amor? Brumali tempore stringunt
 Cingula Patriciam dum pretiosa Togam,
 Detrahit ille suum, informi male cultus amictu,
 Poscenti & supplet, dum caret ære, vicem.
 In commune bonum sua munera dividit illa,
 Quæ a Paulo virtus dicitur esse prior.
 Subvenit hic miseris: mæstos solatur & illic,
 Cor si æquent vires, omnibus æqua parens:



C A P. XIII.


De ipsius Mansuetudine:

DIvino Fraternalis amor solidatus amore
 Cum reliquis, Virtus Calica, fœdus init.
 Quæ Pax elucet vultu tranquilla sereno
 ÆMILIANI animum vel sine teste probat,
 Dulce sonant voces: iras clementia frangit,
 Offensæ patiens, ac facilis veniæ.
 Mirum! cui natura ferox, stimulosque furoris
 Qui sentit læsus, læditur, ac patitur.
 Vir male consultus re injusta vellere barbam
 A mento, audaci protulit ore minas.
 ÆMILIANE, immane scelus, quod dedecus addit
 Expositi populo conditione loci.
 Discite vos, stricto ferro queis æstuat ira.
 Fœdandas manibus porrigit ille genas.
 Rem placuisse Deo certum est. Gens plaudit & ipsa,
 Laus alta indomitam perdomuisse feram.
 Major vincenti iram, quam si vinceret hostem,
 Gloria; namque hostem frangere pugna minor.

CAP. XIV

De Electione Directoris Animæ.

Non facile aggressurus iter per confita spinis,
 Ignota, & cauto gressu adeunda loca,
 Ductorem ÆMILIANUS adit, cui provida virtus,
 Spectatâ exemplis, aptaque consiliis.
 Est Cajetani locius Caraffa, Vir ille,
 Quem Roma, ac Orbis Pontificem coluit.
 Cum Cajetano Veneta degebat in urbe,
 Nam captare animas aucupis arte student.
 Hortatorem habuit ceptis HIERONYMUS illum,
 Ac virtute illum proficiente ducem.
 Deceptam traxere fidem si Oracula Delphis,
 Hic fidens sequitur dogmata vera Patris.
 Quare ducem, qui optas certam viam inire salutis,
 Doctrina, exemplis, elige, qui melior



CAP. XV

De Charitate erga alienigenas causa bel-
 lorum inopes, ac famelicos.

Ferro, atque igne domos passim, ac vastantia terras
 Adducunt inopem bella cruenta famem.
 Confugit ad Venetos miserorum turba precantum,
 Os tristi macie pallida, pigra pede.
 ÆMILIANI cor tangunt suspiria gentis,
 Quæ fletu melius, quam prece quærit opem.
 Protinus hinc nummis quæsito pane ministrat,
 Ut vitam servent, quæ peritura, cibos.
 Ast quid agat, diuturna gravis dum impensa volenti
 Argento retrahit deficiente manum?
 Ingeniosa Viri Pietas! Pretiosa supellex
 Supplet. Dat nummos expoliata domus.
 Intentant hæc facta minas, quando arca referta
 Auro inopum querulam sperbat avara famem.

C A P. XVI.


De Charitate erga illos, qui pestilenti morbo laborant.

PAuperies onerata malis, ac fatida sorde
 Lethali infecit corpora plura lue.
 Curſitat huc illuc ſciritum **HIERONYMUS** Urbe,
 Quæ ſit inops atro vulnere tacta domus.
 Nec mora: præſtat opem geminato munere egenis?
 Sollicitumque tenet corpore plus Anima,
 Ac (mirum!) ſimilis Tobiz clade ſecuta
 Corpora noctu humeris fert tumulanda ſuis.
 Eligit Hoſpitiũ, quod adhuc manet Urbe. Receptos
 Hic alit eſca ægros, hic medicina fovet.
 Cunctis intento famulatur pectore. Promptæ
 Officia exercent irrequieta manus.
 Nec ſibi damna timet fraterno incenſus amore.
 Duro acuit vires tempore verus amor.

C A P. XVII.

De Lethali morbo contracto.

TAnta hæc affiduis Pietas exercita curis
 Vitæ discrimen, non ſibi cauta, ſubit.
 Halitus alloquio, manuum commercia tactu
 Lethiferam tacita vi peperere febrim.
 Membra atris diſtincta notis, obducta tenebris
 Lumina, ſunt properæ ſigna timenda necis.
 Ille metu trepidus, ſpe miſta lætus, adorat
 Numen, & immota quæ ſtata lege, colit.
 Aſt inopum fletus (credo) meruere precantum,
 Ut ſubita, ac nulla ſurgeret arte ſalus.
 Diſce duo. Ut fociis lædunt contagia corpus,
 Sic animam inficiunt, ſi fociata malis.
 Ac, veniam precibus ſi elemoſyna juncta meretur,
 Spes una, ut pretio hoc ſit redimenda ſalus.



C A P. XVIII.

De Mundanarum rerum omnium contemptu.

(vet,
Ouid sibi grande memor pro accepto munere fer-
 Ut superis grates ÆMILIANUS agat?
 Luce una stetit ante aram dum Virginis, ambit
 Quæ dulci Gnatum mater amore suum.
 O Deus, o Virgo, (clamat) si debita vobis
 Vita, ac Libertas, ferre me utramque decet.
 Non mihi, sed vobis hæc vita revixerit. Ista
 Vestrum Libertas surgat ad obsequium.
 Tunc, dum ætas matura finit, bona danda Nepoti
 Tradit lugenti: deseruitque domum.
 Inde toga posita, atque rudi male cinctus amictu
 Fronte humili præbet pauperis effigiem.
 Sic generosus opum, famæ, & contemptor honorum
 Forti ad bella animo, quæ metuenda, subit.
 Dividit in partes dubiam sententia gentem.
 Laudat hic: hic ridet: pars tacito ore stupet.
 Cuncta sui victor fert corde HIERONYMUS æquo,
 Ora hominum immoto lumine versa tulit.
 Nescit cupis, qui animæ vero sit cultor amore?
 Nullam hominum faciem; respicit ille Deum.

C A P. XIX.

De ferventiori in dies erga Orphanos Charitate.

Jam liber, mentem cui nulla domestica vertant;
 Consuētis plene se dedit officiis.
 Æris adhuc partem tenuit, quæ debita jure;
 Ad sumptus variis namque adhibenda locis.
 Quærit in urbe inopes nullo custodè pueros.
 Collectos solita servat, alique Domino.
 Ast minus apta Domus, numero minus ampla frequentū
 Pinguescit; pueris semper adaucta novis.
 Hinc alia, atque alibi conducta providus æde
 Supplet. Utraque domo dividit imperium.
 Opportuna oculo vigilante, manūque ministrat.
 Regula par Domibus, quas regit æquus amor.
 Olli præcipuum hoc; pueris quod temporis horas
 Distribuat; tota quæque gerenda die.
 Lex precibus, monitisque sacris: atque Artibus ordo.
 Trina alimenta fami: miscet & inde jocos.
 Omnia tempus habent. Patris prudentia Gnato
 Horas ni assignet, res mala utrique nocet,

C A P. XX.


*De Charitate etiam erga Orphanos finitimarum insularum: ac de publicis puero-
rum supplicationibus.*

Non Veneta solum Pietas se continet Urbe;
Est quoque finitimis illa vagata locis:
Non procul urbe frequens caput effert insula ponto:
Pauperibus statio quælibet innumeris.
Vir pius educit pueros rectore carentes.
Dividit in partes, ac domo utraque fovet.
Hos quoque conjunctos primis studio excolit æqua.
Dum sine patre omnes, omnibus ille pater.
Cernere pulchrum est, festivo dum tempore turba
Communi invisit publica Templæ prece.
Ordine servato, veluti factæ agmine quisque
Albus veste puer, fronte modestus adit.
Ille Crucem præfert, qui signifer. Inde secutus
Intentos oculos ÆMILIANUS habet.
Concentu dulci celebrant Præconia, dici
Quæ Lauretana Virginis æde solent.
Genus sistit, flectitque genu, comitatur euntes.
Inde pia exardet pectore quisque face.
Vis mira Exemplis. Sint si optima, Cælica merces;
Ut contra horribilis scandala pœna manet.

C A P. XXI.

De sincera fiducia in Dei Providentiâ!

Sat nondum se explere putat, quæ debita voto;
Propria, quæ restant, si bona possideat.
Sanctorum exemplo parat uni fidere Cælo;
Mens ubi consilio provida cuncta regit.
Æthere si volucres, si pisces æquore nutrit;
Non homines, ipsi qui famulentur, alat?
Ergo naturæ servato jure Nepotes
Munere dignatus singula distribuit.
Ast, superos dum poscit opem, studet ipse mereri;
Namque laboranti quæritur esca manu.
Cum pueris, pauper, qui dives, qui ante Senator;
Plebejus, vili comparat. arte cibos.
Atque vetercundo vultu, si quando necesse,
Quæritat auxilium sollicitante prece.
Ne expectes, Cælo fidens, miracula deses:
Sume opus: huic dextram porriget ipse Deus:



C A P. XXII.

De Translatione Orphanorum ad Nosocomium Incurabilium.

Incurabilium (isto nomine in Urbe vocatur)
 Est pius, atque pio conditus ære locus.
 Ampla Domus morbis inopum studiosa medendi.
 Parva alibi si spes, hic rediviva salus.
 Illustris Cæus pietate, ac nobilis ortu,
 Te Curatores, ÆMILIANE, vocant,
 Illos ut pergas, pueriliaque ægmina ducas:
 Pro gemina unius sit Tibi cura Domus.
 An sit fas variare vices, HIERONYMUS hæret;
 Caraffam hinc Animæ contulit ille ducem.
 Hic responsa dedit. Se offert occasio, junctis
 Quæ meritum duplex exhibet officiis.
 Fervet adhuc primis studiis addicta voluntas:
 Curare inde ægris ulcera amoris opus.
 Nulla mora. Exequitur dictum: geminaque relicta
 Æde, unam assiduus, quæ nova, & aucta, regit.
 In gravibus Rectorem Animæ sic consule. Aberrat,
 Qui proprio audet opus sumere consilio.

C A P. XXIII.

De suscepto itinere Bergomum versus.

Nescia stare loco virtus, ut provida terris
 Luce vaga curfus orbita solis agit.
 Bergomi Episcopus, ut novit, quo HIERONYMUS æstu
 Pronus agat, spectant, quæ pietatis opus,
 Urget Caraffam precibus, sibi mittat ut illum,
 In quo spes grandis nixa ferente manum.
 Centenos pueros passim si errare per agros
 Cernat, non facile temperet a lacrymis.
 Nudati, ravidique fame per compita lugent,
 Omnia cum desint, legifer, esca, domus.
 Nec valet antistes moli se subdere tantæ,
 Quem curarum ingens sarcina in urbe premat.
 Ergo pius si vir studiis ferventibus adsit,
 Afflictis rebus quo medeatur, habet.
 Caraffa id probat, ÆMILIANUM hortatur, ut aptis
 Ne imponendum humeris ferre recuset onus.
 Vir dictis se humilem præstat. Commendat Amicis,
 Quos linquit pueros: atque iter ingreditur.
 Quæ inspiciant animam, rectoris suscipe verba.
 Te ducat, Numen quem dedit esse ducem.

C A P. XXIV.

De Transitu Verona, inde Brixia,

TRansit Verona ÆMILIANUS. Episcopus illic,
 Cui virtus Equitis cognita, sistit iter.
 Stat Tui ad exemplum pueris errantibus ædes;
 (Inquit) lex morum constituenda mihi est.
 O quælo faveas cœptis, HIERONYME, nostris.
 Faustum omen per Te res bene cœpta feret.
 Hic stetit ergo dies plures, instatque labori,
 Integra donec opus regula perficiat.
 Brixia & ipsa tenet; pueros nam deside vita
 Et sine patre vagos, & sine lege videt.
 Erigit Hospitium, mores ubi discat, & artes
 Prælati imperio subdita turba sui.
 Interea pro se, pro ipsis mendicat egenus,
 Atque alimenta parant empta rubore precis.
 Sic humilis Cives divino incendit Amore,
 Quos factis Virtus ore silente monet.
 Hinc plures clari titulis exempla secuti
 Se vitæ jungunt, atque operi socios.
 Diligis ipse Deum? Per Te quoque diligit alter,
 Solem imitare. Orbem, quo calet, igne fovet.

C A P. XXV.

De ingressu in fines Bergomi:

Ignifera exardet radiis solaribus ætas,
 Reddit & agricolis præmia flava Ceres,
 Bergomi ut ingressus fines HIERONYMUS agris
 Certatim uti homines falce merente videt.
 Se facilem præbens facile se immiscet, adunco
 Et ferro segetes dextera amica metit.
 Cur faceret, ratio non una est. Parta labore
 Aptâ inopi merces hoc fuit esca die.
 Aut humilis Virtus humili se exerceat actu.
 Ingeniis rudibus vel documenta ferit.
 Crediderim, cum jam dimiserit omnia, postquam
 More inopis statuit quærere lucra manu,
 Atque futurarum mens illi præscia rerum
 Prævidit longa rura habitanda mora,
 Crediderim cœpisse operi consuescere; quo gens
 Mercedem miseram rustica ferre solet.
 Ille, vices qui optat patienti reddere Christo,
 Paulatim assuescat, quæ patientia, patet.


C A P. XXVI.

De cura Orphanorum, inde & Puellarum Bergomi.

Bergomi adest tandem, totique **HIERONYMUS** urbi
 Acceptus passim cingitur officiis.
 Præcipue Antistes, precibus qui traxerat illuc,
 Qui pio amicitiaæ fœdere junctus erat,
 Excipit amplexu dulci: commendat amori
 Partem, quæ toto plus miseranda grege.
 Bella (inquit) fera bella diu vastantia terras
 Cladis adhuc miseræ barbara signa tenent.
 Stravit humi innumeros pestis grassata parentes,
 Innumeri hinc pueri tristitia damna ferunt.
 Ipse gravi quid agam non uno pondere pressus?
 Afflictis rebus Tu fer, Amice, manum.
 Auditis **HIERONYMUS** his, tunc protinus olli
 Præstat, quam pietas læta spondit, opem.
 Colligit assiduus sparfos hinc inde puellos:
 Hospitio exceptis excolit ingenia.
 Nec repetam laudata prius, memorata frequenter.
 Angelicis studiis **ÆMILIANUS** agit.
 At referam, quod fas dici, mirabile dictu.
 Ante oculos nova res, quam veneremur, erit.
 Ille suis, simul & manibus puerilibus usus,
 Muneribusque piis fert alimenta domum.

Sed

Sed data sponte, prece oblata, ac quaesita labore,
 Sufficiens quodam non venit esca die.
 Sustulit ad Cælum palmas **HIERONYMUS** ambas;
 Et solitas (mirum!) mensa habet ecce dapes.
 Nescitur, quæ inopina manus prospexit egenis,
 Quale cibos subita munus adauxit ope.
 Tunc lacrymans clamat. Famulis quam provida dextra
 Numinis! Ipsi non fidere turpe nefas.
 Hinc animo erecto miseras legit ille puellas,
 Non custodito quas vider ire pede.
 Consulit his æque, ac pueris. Nova colligit ædes
 Has. Mores, artes læta Magistra docet.
 Sic puerilis habet, quod opus sit, sexus uterque.
 Sic merita attollunt congeminata Virum.
 Ergo Deo fidat, divino quisquis honore,
 Quisquis amore pio grandia suscipiat.



CAP. XXVII.

C A P. XXVII.

[De Charitate erga impudicas fœminas:]

A Sfertum probat eventus. Res ardua in urbe
 Ante illud nullis cognita temporibus
 In mentem venit meditantæ Cœlica; nempe
 Proximi amore Deo quæ placitura magis:
 Fœminæ ei occurrunt fœdatæ corpora sordè,
 Quæ tamen abstergunt imbrem cadente scelus:
 Inde animas aliæ, cumulantes crimine sœdo,
 Arte, quæ adhuc fragiles, insidiantè trahunt:
 Præclaro auxiliante Viro, atque Antistitis ære
 Conducto Primas excipit hospitio:
 Ac reliquas ratione studet, precibusque movere:
 Jætat divinas ore tonante minas:
 Hinc plures humili se tandem subdere corde,
 Quas primis junctas excipit una domus,
 Quocirca centum purgata sordibus urbe,
 Rara, ac incedit fronte modesta, Venus:
 Sic pensat læsi ÆMILIANUS damna pudoris:
 Discat, qui læsit labe pudicitiam;
 Exemplo opposito, tulerat quæ, scandala delet:
 Is discat, qui audet turpia teste die.

C A P. XXVIII.

*De intercessione pro venerabili Capuc-
 cinorum Ordine.*

C Apuccinorum toti venerabilis Orbi
 Relligio, quam Gens barbara & ipsa colit:
 Nam pede nuda, rudi veste una, cinctaque fune,
 Obsequium barba conciliante gravis:
 Spectanda exemplis, sapiens, patiensque laborum;
 Quæ contemnit opes, negligit & decora:
 Insuavia nondum fines ingressa precatur,
 Bergomi ut exiguus stet sibi in Urbe locus.
 Difficile id factu. Favet his HIERONYMUS: instat:
 Tanti est fama Viri: quod petit, ille tenet.
 Laus ergo Auctoris merito tribuenda, quod Ordo
 Cœlestes fructus hic serit Angelicus.
 Ordinibus sacris faveas, Tibi si apta facultas.
 De ipsorum meritis pars tibi grata Deo.



C A P. XXIX.

De Charitate etiam erga Rusticos.

J Amq; nova exurgunt laudum incrementa, quod illi
 Sacra vir Ætherius semina sparfit agris.
 Bellorum longa vexatus clade colonus
 Infelix Animæ negligit esse memor.
 Ignorat, quæ Sancta fides bene cognita cunctis
 Esse jubet; Legis dogmata; mysteria.
 Ut novit, præsto est properans HIERONYMUS illuc,
 Ut moneat fontes; edocetque rudes.
 Discurrit passim per rura; per ardua rupis:
 Sollicitoque caret nulla labore dies.
 Quævis Cælesti resonat sermone platea.
 Ædibus in sacris vox operosa magis.
 Jungendos operi pueros quoque traxit adultos,
 Qui ingenio præstant; ac pietate calent.
 Exercere jubet; quæ ipso didicere Magistro,
 Atque pares paribus moribus imbuere.
 Sic minor edificat puero majore docente.
 Rem superis gratam prodigium esse probat.
 Nam mensè Aprilis pendent de vite racemi,
 Dum cruciat pueros nata labore fitis.
 Vera duo esse vides, quod; Amor si cælicus ardet,
 Extimulat vires; ingenium exacuit:
 Et quod divino pietas dignata favore
 Mira opportuno tempore dona refert.

C A P. XXX.

De Profectione Novocomum.

UT rediit tandem ÆMILIANUS Bergomi ad Urbem;
 Quem sequitur pueris aucta caterva novis,
 Vitæ imitatores jungunt; sociosque laborum
 Se plures varia conditione Viri.
 Ipsorum fidei tradit; studiisque regendas,
 Quas communi tres condidit ære Domos.
 Ipse autem direxit iter; quo Antistitis ire
 Consensus patitur; nam pia causa vocat;
 Nempe Novocomum; cuius dum mania iustrat;
 Horrescit lacrymans; nam miseranda videt.
 Ocia longa terit puerorum turba; capillis
 Intonsis; lacero tegmine; nuda sinum.
 Exercet choreas; sequitur quas rixa. Relicti
 Promoveant facile moribus apta minus.
 Inconsulta ætas privata utroque parente
 Quid quærat? quid agat? Deteriora tenet.
 His cito consuluit geminata HIERONYMUS æde.
 Una extra muros; altera in Urbe stetit.
 De Comitum Vir Gente pius; qui nomine Primus;
 Ære suo venit primus in auxilium.
 Tanta brevi posse ÆMILIANUM tempore mirum est?
 Extra fervet opus; si calet intus Amor.

C A P. XXXI.

*De Professione in alium locum quondam
Oppidum vulgo Meronium.*

ALter, qui Comiti Primo conjunctus amore,
Vir sex mille aberat passibus Urbe procul:
Dives opum supra reliquos, ac nobilis ortu,
Virtutum præstans nobilitate magis,
Legerat ille locum, cui non ignobile nomen,
Præsidium Pacis, delictumque Animi.
ÆMILIANUS abit, superum quo provida ducat
Lux. Majora capit, dum meliora cupit.
Tunc Primus scriptis caro hunc commendat Amico:
Gemma hæc qualis sit, quam pretiosa, monet,
Vir pius occurrit venienti: amplectitur illum,
Cumque illo pueros excipit hospitio.
Nam viginti octo una duxerat ÆMILIANUS:
Quos pius Angelicum vir putat esset Chorum.
Fortunata Domus, nam felix hospite tanto,
Qui adventu fausto munera larga tulit.
Nempe Domum totam sancto si incendit amore,
Cælesti flamma cor magis ardet Heri.
Revera elapsis paucis Herus ille diebus
ÆMILIANI humilis procidit ante pedes,
Me quoque (ait) dignare, Pater, quo dignus honore
Dulcis Amicus: erit par Tibi danda fides.

Me

Me Tibi discipulum, quæso, sociumque teneto.
Namque animum jussis, exhibeoque manum.
Exitit & talis, memorando ut sine peractam
Cum Primo, vitam prædicet Historia.
Disce, Dei Famulis pateat venientibus ædes.
Hospitium sanctis sanctum erit auspicium.

C A P. XXXII.

De Illustrium Virorum aggregatione.

PRætereo tacitus, quæ exempla HIERONYMUS illic
Præbuit auratis facta legenda notis.
Mitto, quod invilens per rustica testa colonos
Dogmata & inferuit, depulit & vitia.
Mitto, quod ante oculos sibi metam poneret unam
Nempe Dei una stant, Proximi & alter amor.
Quodque relictorum, numerus queis auctus, egestas
Augeret cura sollicitante faces.
Quod toties precibus compulsum accumbere herili
Mensæ, ipsum vetuit regula parca suæ.
Et quod cum pueris viles exercuit artes
Post data vi legum tempora certa sacris.
Hoc tantum memorem, quod se addixere Magistro
Complures clari sanguine, honore Viri.
Horum quisque salutis iter securus inire
Possè putat, tali si duce facta via.
Ut ferrum magnes, paleasque ut succina, vera
Sic homines Virtus allicit, inde movet.
Si prodesse velis, Animarum, tu effice, Rector,
Vita tua exemplo teste probata trahat.

C

CAP. XXXIII.


C A P. XXXIII.

*De Itinere, & de Electione loci apti ad
fundationem Congregationis.*

ADventare novos videt ÆMILIANUS Alumnos,
 Queis sit conjunctis certa paranda domus.
 Erubuit: vocat indignum, quem digna sequatur
 Gens, hominem studiis, ingenioque rudem.
 Ast: humiles aptosque minus Deus eligit, (inquit)
 Divinum proflus quando opus esse prober.
 Te sequor: Auspiciisque Tuis, o Spiritus Alme,
 Non mihi conceptum mente iter ingredior.
 Patronam Te, Virgo Parens, voco supplice corde.
 Oro, Tuis cedant ardua consiliis.
 Sic ait: atque Crucis signo præeunte viator
 Morigeros pueros præcipit ire via.
 Divinas Laudes devoto carmine cantant;
 Cælum extra Cælum est, Angelicumque melos,
 Circumfert oculos: scrutatur singula: pagos
 Sollicito varios circuit ille pede.
 Non quærit visu formosa, & amæna locorum:
 Ruraque per faciles non perit æqua vias.
 Naturam invenire loci ipsi prona voluntas,
 Cernat ubi intuitu cor propiore Deum.
 Legerat ille Locum. Vir se objicit ore maligno,
 Seditioe potens, Dæmonis arte furens.

Lu-

Luctari horret pacis amans Hieronymus. Illinc
 Cedit. Cede iræ, si pius esse velis.
 Nec sequitur justæ promissa faventia causâ.
 Respondit: Sedem destinet ipse Deus.
 Destinât. En surgit præcelsi vertice collis
 Pagus; ubi ætherea sede stat alma quies.
 Est Locus in Divi Martini valle repostus
 Somascha: Hunc gens non numerosa colit.
 Iste Novocomum non longis, Bergomi & Urbem
 Passibus inspectat: lenis ubi aura favet.
 ÆMILIANUS ut omnia vidit coniona votis,
 Sedem (inquit) nobis hanc Deus esse dedit:
 Nulla Animæ merces nullo hoste: Labore paranda est.
 Vinces in melius facta regente Deo.



C 2


CAP. XXXIV.

C A P. XXXIV.

De Fundatione, ac Regulis novæ
Congregationis.

AMILIANUS, ut hæc animo sententia sedit,
 Illo manturam rure tenere domum,
 Inspicit, an junctis simul ædibus una resulter
 Ampla satis pueris, ac satis apta viris.
 Gens Ondea domum assignat: Fratresque Borelli
 Addunt, queis uti testâ habitanda solent,
 Hæc sat materies, quæsitam ut construat ædem,
 Forma tenenda, ut eam moribus instituat.
 Communis cunctis moderatur Regula vitæ.
 Firmat & exemplis, qui dedit, ipse Pater.
 Muneribus variis servandas dividit horas.
 Sancta jubet nullo prætereunda die.
 Pauperies vexilla ferat. De paupere Matre
 Qui Deus est, Homo habet pauperis effigiem.
 Vulgaris semper, nec vero sordida vestis.
 Se quisque abjiciat, subjiciatque jugo.
 Namque Humilis virtus Virtutum prima, parensque,
 Hoc fulcimine stat Religiosa fides.
 Aspera mitescunt hujus dulcedine fontis,
 Quem sæcundus aquis Cælicus implet Amor.
 Quæ vero ipse Pater dederit documenta silendo
 Admiranda animis, vix imitanda manu,

Scire cupis? Referam, memori quæ corde volutans
 Dum repeto, ex oculis labitur unda meis.
 Munia sæpe subit, quæ vilia, juncta labori:
 Deliciasque vocat, quæ graviora legit:
 Lignorum fasces humeris sudantibus affert:
 Effert fontis aquas, queis premit urna manus.
 Everritque pedum congestas pulvere sordes,
 Usu sædatas abluit & patinas.
 Se cunctis famulum præstat, mensisque ministrat:
 Dat flexo plantis oscula mæsta genu.
 Ignoscant, siqui incusent: instatque, precentur,
 Ut verò cordis deleat imbre nefas.
 Non pulchræ Cereris, non læti munere Bacchi
 Imminuenda fames, ac recreanda sitis.
 Mucidus, agrestis, durus, precibusque paratus
 Panis, aquæ potus dant alimenta viro.
 Si Te peniteat vere, sunt vera doloris
 Signa, ad vindictam cum patiare volens;



C A P. XXXV.

De Cura Ægrotantium.

Verum decrescunt magna hæc majora legenti,
 Ut primis rutilant astra minora minus.
 Curandis morbis rudimenta assumpserat artis
 Sæpe animo intento talibus officiis.
 Viderrat incurabiliū pia in æde moratus
 Sanari variis corpora læsa modis.
 Ergo iubente illo dulci pietate per agros
 Ad medicum ægrotos fama vagata vocat.
 Et vocat infando fœdatus ulcere, quique
 Putrida deformi membra tumore trahunt.
 Accedunt alii, sanies quis sanguine misto
 Erumpit latebris, vermibus atque scatet.
 Quodque minus patiæ, tetrum efflat vulnus odorem,
 Fœtet ut amota triste cadaver humo.
 Non hæc monstra oculis refugis HIERONYMUS horret,
 Nec retrahit nares tabida odore lues.
 Nil trepidante manu abluit ulcus, & ulcere mundo,
 Balsama tunc adhibet, quæ magis apta malo.
 Contigit, ut nimium tetri primo impete odoris
 Natura impatiens retro ageret medicum.
 Tunc ait ille. Nefas. Sit culpæ debita pœna
 Lambere, quæ sanie fœtida plaga fluit.
 Protinus iade sui victor plagam admovet ori.
 Telæ lingua vices officiosa subit.
 Sic non speratam toties dedit ille salutem;
 Nam medica humana Ars: Angelica Ars Pietas.
 Ergo prius Medico Patrem sacrum advocet æger.
 Spes nulla in Medico, ni Deus adsit ope.
 CAP. XXXVI.

C A P. XXXVI.

De Animarum cura.

Ægris corporibus si præsto est sedula cura,
 Quale Animas studium fervet ab interitu?
 Non percurrit agros tantum, vicinaque testæ,
 Finitimis pariter diffusa rura locis.
 Tramite difficili quasi repit ad ardua montis.
 Non pluvia, æstus, iter nec vetuere nives.
 Ignaris Fidei populis fert dogmata: Leges
 Explicat: ac sanctis moribus instituit.
 Admonet, effugiant metuendi fulminis iram.
 Insidiosa latet mors: inopina rapit.
 Districti hinc sequitur sententia iudicis. Ultor
 Perpetui punit carceris igne nefas.
 Ast potius querant meritorum præmia, justos
 Quæ æterna in Cælis sede parata manent.
 Non solus: tantorum operum tenet ille ministros.
 Ut Dux pugnantes, sic regit ipse Patres.
 Instant: inludant sociali fœdere iuncti.
 Nulla quies: festo tempore fervet opus.
 Incensi incendunt Divino pectora amore.
 Fertilitas cultis Cælica surgit agris.
 Quanta seges cultore pio! quo deside quanta
 Clades! Heu! Pastor, Te hic metus excutiat.

C A P. XXXVII.

*De Profectione Mediolanum: ac de
incommodis itineris.*

ET Mediolanum stat fixum pergere, ut illic
 Lucra ipsi pariat, quæ magis ampla, labor.
 Jam nuper constructa Domus stat nixa columnis
 Perpetuam ad sedem Patribus aucta novis.
 Ergo commendat regimen Sociisque, Borellisque,
 Ut studio fervent, quæ bene cæpta putent.
 Quinque, ac triginta pueris comitantibus exit,
 Cumque his more viam, quo solet ire, tenet.
 Nempe Crucem iussit præcedere. Laude canora
 A Matre, a Superis turba precatur opem.
 Nulla penus fertur, pretio nec quæritur esca.
 Hos quoque alit, quæ mens provida, pascit aves.
 Res lacrymanda venit. Tremulos Hieronymus artus
 Vix trahit æger adhuc. Æstuat igne febris;
 Nam jejuna fames: incommoda longa viarum.
 Non animus; vires deficiunt animo.
 Quid faciat spe nulla hominum præstante levamen?
 Dant lectum in paleis diruta tecta Domus.
 Vir (mittente Deo) transit, cui cognitus æger.
 Ipsi, at non sociis exhibet ille Domum.
 Solus abire negat Pater. Is discessit; at Urbem
 Ingressus subito stat Ducis ante pedes.

Cun-

Cuncta refert. Dux ille pius pietate calefcens
 Auxilia hunc ægro querere prompta jubet.
 Adveniunt missi curru properante ministri.
 Ducitur inde Pater, ducit & ille suos.
 Urbis dum intrat portas ÆMILIANUS, ad Aulam
 Se duci ut novit, voce precantis ait.
 Pauperis hospitium, oro, quærite. Sit mihi sedes
 Conditioni par: pauperis hospitium.
 Ne incendant mærore febrim, traxere petentem
 Ad parvi, ac miseri vilia tecta loci.
 Inde recusanti, quam Princeps exhibet, ædem,
 Quæ placet, inventa est ære locata domus.
 Febris abit, dum parta quies. Animo ille quiescet,
 Qui sancta discat vivere lege Deo.

C A P. XXXVIII.

*De Benignitate Ducis Medio-
lanensis.*

Hic memorem, fas est, Franciscus Sfortia Princeps
 Sæpe sit amplexus qua pietate Virum:
 Post ea præcipue vera argumenta probatæ
 Virtutis, passim quæ micuere palam.
 Opportuna Viro, pueris & commoda primum
 Exhibet. Ille inquit. Mollia spernit inops.
 Obtulit inde aurum, cujus saltem usus egenis.
 Subdolanus hinc tentat, firma sit anne fides.

Ref.

Respondit, non aurum : Animarum quærere lucra;
 Namque suæ tali est arte paranda salus.
 Responsa hæc placuere Duci, qui, certior ut sit,
 Inquiri Veneta de Viro in Urbe iubet.
 Audiit, excellæ Gentis de sanguine natum,
 Ornare ornatum laudis honore Togam.
 Audiit impavido Ductorem pectore in armis
 Gessisse invicta bella cruenta manu.
 Audiit in Patriam virtute, fideque merentem
 Præmia justa altos jam tenuisse gradus.
 Audiit & miris servatum a Virgine donis
 Reddere mirandis aspera vota modis.
 Nempe Virum titulis, opibus, meritisque coruscum
 Ultero esse abiecta conditione inopem.
 Incensum tandem Divini lampade Amoris
 Cordibus has Hominum subdere velle faces.
 Quæ ut Dux excepit, lacrymis miratus obortis,
 Cuncta (inquit), quæ optes, ÆMILIANE, petas.
 Sitque labor, quæcumque velis, exponere voce,
 Sollicite ut studiis sint Tibi habenda meis.
 Vera potest adeo Virtus, ut & ardua vincat,
 Principum & imperium cogat ad obsequium.



C A P. XXXIX.

De novo Orphanorum Hospitio.

Fulta Patrocinio Pietas animosa quid egit,
 Et quo progressu, carmine vix referam.
 Sumpsit & hac, aliis quæ gesserat, anxius Urbe,
 Ac majora quidem, nam magis ampla loco.
 Olli præcipue cum sit curæ Orphana turba,
 Servare hanc certa res studiosa domo.
 Non grandis locus est, tamen aptus. Juncta sacra ædes,
 Divi ubi Martini suscipit Ara preces.
 Ære suo Princeps conductam destinat illam,
 Opportune emptam donet ut inde Patri.
 Tunc animo læto grates HIERONYMUS egit.
 Inquit. Martini vox mihi dulce sonat.
 Martini valle est Cætus carissima nostri
 Condita perpetuo tempore prima Domus.
 Hic quoque Martinus dedit auspicium. Hic quoq; sedem
 Mansuram lociis constituisse reor.
 O, si Martini sum belliger arma secutus,
 Patronus det opem, Cælica ut acta sequar.
 Faulta exinde fluunt felici singula cursu.
 Fæcunda his Virtus semina spargit agris.
 Adventu augetur puerorum turba frequenti;
 Alter nam fovet hos, qui sine patre, pater.
 Moribus instruit hos: certa hos exercet in arte,
 Ocia ut effugiant, dentque alimenta manus.

Cernere pulchrum est. Gens plenis effusa fenestris,
 Perque viam immoto stat numerosa pede,
 Dum loca pertransit puerilis fronte modesta,
 Alba veste, animo candidiore cohors.
 Nam mos, qui reliquis, hac & servatur in Urbe,
 Mos, quo Divinus spicula figit Amor.
 De Cruce pendentis Christi præcedit Imago.
 Signiferum sequitur turba canora ducem.
 Ultimus incedit spectando HIERONYMUS ore:
 Angelus humana splendet in effigie.
 In se dum populi mirantis lumina vertit,
 Converso ad Cælum pectora amore trahit.
 Improbus ast Dæmon bene agentibus invidus hostis
 Misceri ingrato murmure tentat aquas:
 Id finit arte Deus. Quæ sit constantia, tentat.
 Purior ut niteat, sic probat igne humilem.



CAP. XL.

De Malignantium improbitate, ac de
 Viri Patientia.

Deterior Populi quæ pars, vesana furore
 Tartareo verbis impia tela jacit.
 Falsa animi pietas: ridenda infania: & auri
 Sacra fames, tribuunt nomina fæda viro.
 Conviciis risu mistis comitantur euntem
 Tempore, quo incessus dignus honore magis.
 Frons humilis: tristis macies: ac mantica pendens
 Annon Virtutis Cælica signa ferunt?
 Delirum ut solet importuna lacerare turba,
 Sic illum insequitur vocibus, atque jocis.
 Magnanimo dura ÆMILIANUS pectore suffert.
 Munitum clypeo nil ferit hasta sinum.
 Non modo nulla fremunt justis responsa querelis,
 Pro Christo, at lætus, quod patiat, adit.
 Ast cessere loco obtenebrantia nubila Cælum,
 Pura dies sparfit Sole nitente jubar.
 Scilicet eventum Urbi infausto exercita Virtus
 Splendidiore, palam cognita, luce micat.
 Nulla Dei famulos infamia terreat unquam,
 Dissipat hanc Laudis Fama locuta sono.

C A P. XLI.

De insigni ipsius Charitate tempore Contagionis, ac de glorioso pro Meritis Nomine.

PArs Mediolani scelerum sedata pudendis
Sordibus, invexit bellica quæ feritas,
Jam luere immundo iustas pro crimine penas,
Nam mors plurâ hominum millia sternit humi.
Nec soli pereunt miseranda cædè nocentes:
Communi innocuos cladè ruina trahit:
Lethales inopina ferunt contagia morbos.
Pestifera passim corpora sorde jacent:
Quemque metus retrahit: paucis cor tangere læsos.
Ægris non paucò quæritur ære salus.
Desperanda inopi vita est cessante ministro.
Quæ manus huic medicæ præbeat artis opem?
Non ita; nam properat cursu huc Hieronymus illuc
Assiduo, urgenti totus in officio.
Curantis Medici, auxiliantis functus Amici
Munere, qui indoleant, omnibus omnis adest.
Corde pio impavidus cunctis trepidantibus Urbe
Discurrit pedibus promptus, & inde manu.
Nec titulos, & opes spectat medicaminis ordo,
Siqui non humili conditione vocent.
Par cunctis pietate pari solatur egentes,
Namque pari in cunctis stat Deus intuitu.

Obstu

Obstupuere omnes, magis hi, queis Cælica Virtus
Spernentis peperit scandala iniqua joci.
Ore verecundo, atque genis humentibus imbre
Publica mæroris signa dedere sui.
Vestibus, ac manibus figentes oscula proni
Errati veniam supplicè voce petunt.
Tota Viri raram Urbs pietatem laudibus effert:
Est sanctus: multis vox sonat alta labris.
Quæ repetita crebro ÆMILIANI ut venit ad aures
Corde imò totidem vulnera fixit acu.
Inquit: Cælitibus quis fontem laudibus æquet?
Non nisi fallaci mens male ducta fide.
Ast prope testantur Sanctum duo mira relatu,
Digna equidem, ut memori carmine musa canat.
Præsto erat agris nunquam tunc Hieronymus æger:
Corpora nec medicum lædere læsa valent.
Deque suis, pueri fuerint, fuerintve Ministri,
Nullum vel tactum cuspide Parca rapit.
Id merito, ÆMILIANE, Tibi Laus publica vertit,
Te juvisse manu; plus valuisse prece.
Hinc plures ortu, ingenio, titulisque decoros
Florentesque opibus Cælica gesta movent.
Se comites junxere Patri: subiere laborum
Pergrave onus vita facta sequente Patris.
Quæ vita illustri meritorum luce corusca
Clausa est ornato funere laude pari.
Discite. Quæ Justos scelerata calumnia lædit,
Infirmitate adit, pondere pressa cadit.
Hostili si more Deus fert Dæmonis astum
Ire, suis lusum fraudibus isse pudet.

CAP. XLVII.

C A P. XLII.

*De erectione alterius Domicilii
Ticini.*

Finibus arctari ÆMILIANI nescia Virtus
 Ticinum lecto tempore vertit iter.
 Vis morbi cessit: Regimen qui sumeret ædis
 Servandis aptus legibus, alter erat.
 Ergo cum pueris solito agminis ordine ductor
 Signiferum sequitur. Sustulit ille Crucem.
 Angelicis voces attollunt cantibus. Echo
 Jucundas reddit voce canente vices.
 Prævenit adventum ÆMILIANI nuncia fama,
 Unde se ad obsequium Gens studiosa parat.
 Nam venerabundus circumsonat undique rumor.
 Patricius Veneta Sanctus ab Urbe venit.
 Ut tandem accessit, jucundo murmure passim
 Cernendi studio gens numerosa fluit.
 Ut pueros videre albos veste, ore modestos,
 Atque sacros cantus auribus excipiunt,
 Tunc tenero cunctis exultant gaudia motu;
 Ast magis ante oculos dum stetit ipse Pater.
 Pallentis vultus macies, incultaque barba;
 Vestis trita: humile os: lumina fixa solo:
 Sanguine sublimi cretus, titulisque decorus:
 Bellica, cui virtus: gloria & inde comes:

Men.

Mendicans ultro: contempto vilis honore:
 Almo igne exardens; atque homo supra hominem:
 Oppositis vicibus veræ meritissima laudis
 Argumenta animos hæc meditata trahunt.
 Exhibuere suam plures de Civibus ædem;
 Ast, recipit quæ inopes, expetit ille domum.
 Assignata domus, multos quæ excludit; at ille,
 Ne innocuis noceat, protinus inde fugit.
 Demum perpetua, & certa, & gratissima sedes
 Tradita, quam munit legibus ipse suis.
 Dicitur ista Columбина: est a voce columbæ,
 Nam sibi sacratam spiritus Almus habet.
 Vanum crediderim, quæ gesserit ille, referre,
 Ut reliquis, & in hoc nam repetita loco.
 Orphana pauperies; Animarum cura, laborum
 Congeries, studiis detinuere Virum.
 Hinc plures genere illustres exempla secuti,
 Ac decorum immemores, deseruere suos.
 Et duo præcipue, qui sanguine, & indole fratres
 Par cepere alto lumine consilium:
 Qui Cætum auxerunt numero, virtute, decore:
 Excelsis meritis carus uterque Patri.
 Nec longo intexam horum Fratrum carmine laudes:
 Historicus textus nomina, & Acta refert.
 Ut vero redeam ÆMILIANI ad gesta, silere
 Dedecet eventum prodigio similem.
 Ordine dum pueros solito extra mœnia ducit
 Tempore, sparsit agros quo nive tristis hiems,
 Ut foret exemplo Pietas per rura colonis,
 Et cordi hærerent, quæ documenta daret,
 Irruit (horresco memorans) inopina luporum
 Turma: escam quarunt exagitante fame.

D

Ar.


Artibus intremuere statim puerique, sodalesque,
 Ac miseram metuunt dente minante necem.
 Unus nil trepidante ululatus excipit aure,
 Immoto & rictus alpicit ore, Pater.
 Spe plenus Cælum inspexit, dextramque tetendit.
 Atque Crucis signo depulit inde lupos.
 Ne metuas, Deum ames. Joannis dicta memento.
 Si Dei Amor sinu inest, pectore terror abest.

C A P. XLIII.

*De Concilio habito Somaschæ ad perfectam
 communem Regularum constitutionem.*

Concilium Pater exoptat generale suorum;
 Ut quæ cepta locis stent bene nixa pede.
 Somaschæ vera surrexit origine Cætus.
 Somaschæ Cætum Regula constituat:
 Regula communis, servandaque ubique locorum,
 Unius ut cunctis forma sit una Domus.
 Ergo Somascham rediit, secumque sodales,
 Atque hos, stante Deo quos iter addit, habet.
 Invenit numerum faustis successibus auctum:
 Fructiferumque novo germine cernit agrum.
 Convocat & sparsos diversis sede regunt.
 Qui erectas nuper præside sede regunt.
 Sanctiæ hæc synodo leges, quibus Ordinis æqua
 Communi staret fœdere sacra fides.

Nomen & impositum, facile quo Nomine munus
 Mox capias Cætus: sunt inopum famuli.
 Postrema arridet cunctis sententia; quisque
 Nutu quod sentis ÆMILIANE probat.
 Scilicet ut vario distinctis ordine rebus
 Efforment Cætus munera bina duos.
 Intimus, atque Sacer primus famuletur egenis,
 Sitque his Orphana gens erudienda viris.
 Præcipuo hic studio ægris Sacramenta ministret:
 Firmet & exemplis, quæ documenta ferat.
 Non facer externique alter, cui dedita Munus
 Cura sit; ast animo Cælicus insit amor.
 Purpura partim ornet; partim Toga Civica honestet:
 Deferat e reliquis nomine quilibet decus,
 Hic regat imperio mundana negotia Cætus,
 Suscipiatque Pii jura tuenda Loci.
 Colligat & nummos, ac tales vertat in usus,
 Temporibus certis queis opus esse putet.
 Turba senum ægrorum, infelix simul Orphana Proles
 Sit servanda domo, sitque fovenda cibo.
 Nunc quoq; mos manet iste: Patresq; ministri Animabu
 Cum præsint, reliquis præsidet alta Manus.
 Disce, Pater, cui Prolis cura. Huic regula danda est
 Non suffulta ruit, quæ sine lege, Domus.



C A P. XLIV.

De Ereptione aliarum domorum prope Somascham : ac de quibusdam mirabilibus :

Somaschæ socios numero feliciter auctos,
 Atque simul pueros non capit una Domus.
 Anxia consilia ÆMILIANUS corde volutans
 Uni hæret tandem, promptus & exequitur.
 Somaschæ ingenti celsus mons imminet umbra,
 Cui duplex culmen: vallis & ima jacet.
 Dicitur Arx cornu unum, nam manet Arcis imago,
 Semirura intentant pendula tæta minas.
 Restaurata brevi magno domus illa labore
 Divisis Sociis dat satis apta locum.
 Et, cum desit aqua, ÆMILIANUS Numen adorat
 Supplex: excussio de lapide haurit aquam.
 Et quia non patitur pueros procul inde teneri,
 Dicta Valle Domus mox nova surgit humo.
 Huc trahit ægrotos pueros, pariterque tenellos.
 Queis simili dulcis suppetit unda modo.
 Durat adhuc, magnique hæc, namque salubris, habetur:
 Iuncto usu fidei reddita sæpe salus.
 Abdere quæ si non liceat, nam mira coruscant,
 Innocuis pueris Vir tribuenda monet.
 Nec pariter, læso Agricola dum crure securi
 Vix Cruce signatus jam pede sanus abit.

Ipse

Ipse specu cæco occultam sibi destinat adem;
 Hic meritis æquat nox vigilata diem.
 Nescia Mula, istuc quid agat; sed terga flagellis
 Excruciare crebris sparsa cruore putat.
 Certe præteriti nunquam immemor ardua sumit:
 Et meditata auget pergrave culpa jugum.
 Qui scelera admisit, dilcat, quod crimina penis
 Sunt redimenda animo conciliante Deum.
 Nec satis est petiisse semel pacem. Ipsa petenti
 Incerta; ast lacrymis certa fit assiduis.

C A P. XLV.


De Reditu Venetias ad revisenda Domicilia.

Quas Pueris, Ægris, Miseris HIERONYMUS ædes
 Providus erexit, visere constituit.
 Ipsi hoc propositum, vel certas condere leges,
 Legibus impositis vel solidare fidem.
 Et, quæ succrescant, avellere gramina, ut agris
 Germina virtutes uberiora ferant.
 Idcirco redit in Patriam: primumque revisit,
 Quod prius excoluit, gratius Hospitium.
 Divis Joanni, & Paulo sacrum prope Templum
 Insignis fama stat Pius iste Locus.
 Ægros hic recipit, puerosque parentibus orbos,
 Et queis infecit putrida squama caput.
 Quintum post annum rediens, quo tempore mansit,
 Paupertatis amans hoc stetit ille Loco.

D 3

Nec

Nec potuerè prece Agnati, lacrymisque Nepotes,
 Holpite qui dignas exhibuere Domos.
 Ast quia visendi multis studiosa voluntas,
 Indulget facilis, dum finit hora, viris.
 Officiosa tamen, quæ profert, dicta salutis
 Sunt monita Ætheriis relligiosa notis.
 pernat (ait) Mundum, bona Mundi, & munera sortis,
 Non dubia in Cælum qui velit ire via.
 Ast satis, ac tutum Mundo præferre, quod alta
 Sede Bonum Summum: quod super omne colas.
 Hic studium ÆMILIANI primum inquirere multa:
 Intentisque oculis cernere cuncta placet,
 Ut vigeant nullo violandæ tempore leges,
 Vel, siquid desit, lex nova prospiciat.
 Ipse autem interea nullo cessante labore
 Exhibet exemplo facta imitanda manu.
 Agris, ac pueris dextra famulante ministrat:
 Non horret fædum tergere sorde caput.
 Incurabilium sibi caram invisit & ædem.
 Hic quoque sollicitus, quæ inspicienda, notat.
 Vertitur ipsius tot rerum machina nutu;
 Ingenium siquidem lux regit alma viri.
 Subrepat facile: ac, si impunis, noxa tumescit.
 Ergo qui præsit, visat, ut ejiciat.



C A P. XLVI.

De Itinere post discessionem Venetiis.

POSTquam virtutum præclara exempla reliquit,
 Quæ argumenta forent legibus apta tuis,
 Atque vale misso victor fugit ora Nepotum,
 Ex oris Patriis ÆMILIANUS abijt:
 Nondum anno elapso nimium properante recessu
 Urbs pene amisso mæsta parente dolet.
 Idque magis, dum fama refert, quod præcius ille
 Instare asseruit fata minata necem:
 ÆMILIANUS iter sequitur, visurus & ædes,
 Quas alibi erexit; nec pedes ire timet.
 Namque libens hilari perfert incommoda gressu,
 Æstivo quamvis sole cale scat humus.
 Cognitus atque viris aliquot via euntibus una,
 Qui crebra extimulant voce, recusat equum.
 Prandia lauta parant, ad quæ compellitur ipse.
 Panis, aqua, hæc recreant sola alimenta famem.
 Atque semel victus præcibus vix attingit escam,
 Facti penituit: flevit, & ingemuit.
 Non (inquit) pretiosa decent convivia fontem,
 Qui cinere aspersus delectat imbre nefas.
 Discite, quos scelerum incusat mens conscia. Molles
 Non delent, augent crimina deliciæ.

C A P. XLVII.

De Reditu Somaſcbam.

Brixia, Bergomi & urbs, puerorum ut tecta reuiſas
 Erecta hic illic, Te, ÆMILIANE, vocant.
 Aſt Te non teneat mora. Merces nulla morandi.
 Rebus quæ nova lex ordine compositis?
 Non ſtetit ergo diu. Urget dilectiſſimæ imago,
 Somaſchæ, atque imo peſtore fixus amor.
 Fundamenta hic, Virtutum queis vertice ſurgit
 Alta novi Cætus Relligioſa Domus.
 Cara Domus Patri, qua non pretioſior ulla,
 Pulchra ubi ſæcundæ germina Proliſ habet.
 Corde igitur lætium, celerem pede ſemita ducit,
 Somaſcham monſtrat qua prope montis apex.
 Jam venit. Læti omnes exceperunt Parentem,
 Oſcula dant manibus rorẽ cadente genis.
 Hic fruſtra memorem, facile quæ præuenit, acta,
 Qui igni hunc materiem ſuppoſuiſſe videt.
 More Ducis, qui bella gerens felicibus armis
 Hoſte triumphato forſior egreditur,
 Tantareo ſuperato huc que HIERONYMUS aſtu
 Cum ſociis hoſtem promptior aggreditur.
 Aſt humilis virtus virtutibus æmula facta
 Irrequieto animo prælia ſepe movet.
 Secum ait. Annorum ſpatio longo aſſecta Chriſti
 Quæ pro Ipſo cum Ipſo facta imitanda ſequor?

Chriſti tantus amor, qui bis me a morte redemit,
 Hucusque a memori ſigna quæ amore tulit?
 Se nondum deſeſſe timet, quæ prima iuventutis
 Inſeſſiſſe Animam crimina labe ſciat.
 Mors vicina (ait) indicit mihi Numinis iras,
 Et ſcelera horrifico diſcutienda Foro.
 Cur non quærat, quaſi carcer, cæca caverna,
 Tergat ubi infandum flebilis unda ſcelus?
 Quæritat hinc oculis ſpectantibus undique cella,
 Quæ cava non facili tetra adæunda pede.
 Inter ſaxa ſinu montis tandem aſpicit antrum
 Non longe a pueris, non procul a fociis.
 Aſt quis iter ſumat, parat hanc attingere metam?
 Ardua, præceps eſt, aſpera ſente crebra.
 Aggreditur facinus properante HIERONYMUS auſo.
 Alcenuſu ſuperat, victor & ingreditur.
 Cuncta placent: latebroſa quies: fiduſque reſeſſus,
 Corde ut amet, laudet liberiore Deum:
 Ut lacrymante prece, ac pœnis cruciantibus ultro
 Avertat juſtas Iudicis ira minas.
 Ergo ſibi compos voti hanc delegit eremum,
 Cui laudem peperit; nomen & inde manet.
 Hic Cellam, parvamque Oranti conſtruit ædem,
 Atque ſaber manibus perficit ipſe ſuis.
 Bajulus ipſe ſuis repetito ingentia grefſu
 Lignorum, ac lapidum pondera fert humeris.
 Fert calcem, ac ſabulum, quod porrigit Addua flumen,
 Longa vel fractis viribus ipſe via.
 Cumque ſubire vices peteret pietate viator,
 Hæc reſponſa dabat, quæ documenta ferunt.
 In Cælo meritis ſi merces danda laborum,
 Is, qui operi meritum, præmium & imminuit.

C A P. XLVIII.

De Vitæ Austeritate in Eremito.

UT perfecit opus, palmas ad sidera tollit,
 Et superis grates ÆMILIANUS agit.
 Exultatque animo hoc lætus, quod vota petebant,
 Tendat ut ad Cælum sic propiore via.
 Ergo hic dura pati assuescit: Vexasse flagellis
 Crediderim crebris livida terga notis.
 Hic jejunandi rigidas sibi sumere leges,
 Atque famem longos sollicitare dies.
 Hic studio orandi intomnes traducere noctes,
 Ac somno tandem membra levare brevi.
 Quale genus somni? Vel humi jacet ille sopitus,
 Vel dat non aptum petra cubile cava:
 Quæ petra dum lapsis pungit non æqua lapillis,
 Excruciat somnos irrequieta quies.
 Sic precibus, lacrymis, penisque ultricibus instat,
 Mitecat læsi, si manet, ira Dei.
 Non manet; at donis cumulat Cælestibus Almus,
 ÆMILIANO urit qui facit pectus, Amor.
 Nec referam facile, quæ sint commercia Cælo,
 Cantica & Angelicis associata Choris.
 Id memorem, vnum toties, mirabile dictu!
 Flammigero vultu, dum redit, ille calet.
 Non aurata nitent, ut Mosi, cornua fronte,
 Ast olli exardens æstuat igne caput.

Sci-

Scilicet æthereum spirant præcordia Amorem.
 Angelicum sapiunt actus & eloquium.
 Se radiis prodit, tenebris licet abdita Virtus,
 Ut sol elucet nube regente jubar.
 Quod si nosse optas animi secreta latentis,
 Certa latet Pietas, sanctus ubi ardet Amor.

C A P. XLIX.

*De Gratia Miraculosa precibus
impetrata.*

CÆlica virtus hæc Cælo testante probatur:
 Resque facit certam prodigiola fidem.
 Aspera sævit hiems diris furibunda procellis,
 Ac nive contexto semita monte riger.
 Cui de more onus impositum, non quæritat escam,
 Æquatam numero quam dare mensa solet.
 Pane caret, qui sit satis, ædes valle repostæ.
 Quadraginta hominum quo saturanda fames?
 Jamque trahunt pueri mæsto suspiria corde,
 Atque omnes, dum spes non opis ulla, dolent.
 Non dolet, aut metuit fidens HIERONYMUS alti
 Consilii auxilio, cuncta quod Orbe regit.
 Ore filat; sed corde preces emittit ad astra.
 Panes, qui pauci, colligit inde sinu.
 Atque jubet miseræ cunctos accumbere mensæ.
 Pars ibi, quæ primis, contigit & reliquis.

San-

Sancta Manus! cui prodigio Deus æthere favit,
 Prebita decrevit, sed tumet esca manu.
 Ex pueris uni evenit, maturior annis
 Cum foret, aut ductu Luminis ætherii,
 De panis parte illius servare pusillum:
 Quod cum distribuit, mira patrata videt.
 Obsequio venerante Patrem dedit ille, Sacerdos,
 Reliquias ægris; convaluisse refert.
 Nec stupeas, si mira Virum comitantur amantem,
 Possit dat Almus Amor plurima, si quis amat.
 Provida Dextra Dei est, Tibi si fiducia constans,
 Quando humilis, duro tempore, recta petas.



CAP. L.

De Prædictione suæ Mortis:

ÆMILIANI obitum adventantem vulnere acerbø
 Tempore non uno prævia signa notant.
 Ipsi non vitanda necem jam fata minari,
 Finem instare brevi præscia lingua canit.
 Caraffa, is, cujus monitis HIERONYMUS hæret,
 Filius ut Patris pronus ad obsequium,
 Purpuræ honore Sacræ nuper decoratus Amicum
 Instantè Romam, messis ubi ampla, vocat.
 Orphana gens numerosa (ait) ÆMILIANE, salutem
 Te poscit: studiis est redimenda tuis.
 Centum operum, pietas, Tibi quæ exercenda labore,
 Centenis meritis præmia celsa parat.
 Convocat acceptis scriptis HIERONYMUS omnes,
 Quotquot habens socios patris amore fovet.
 Me duo iussa premunt, (inquit) nam pergere Romam
 Caraffa, ad Cælum me Deus ire jubet.
 Prima cadent. Divina sequi cur dicta recusem?
 Cælum iter expediet, Romæ iter impediet.
 Cernite, quam facili sibi mortem nunciat ore.
 Conscia mens recti, nescia tristitiæ.
 Cui scelerum dolor aut nunquam, vel serus, & impos,
 Mors illum terret, debita pœna magis.

C A P. LI.

De Charitate ipsius orta Somaschæ contagione : ac de Visione pueri morientis.

QUæ Tibi delictum, quæ pax dulcissima, Eremus,
Abfit mox oculis, ÆMILIANE, Tuis.
Non ultra aspicias, non amplexaberis ultra,
Somaschæ fletus inde te abire jubent.
Istic, finitimisque locis contagia serpunt;
Queis miserę gentis lurida plaga tumer.
Impia mors cumulat numerofo vulnere: cades.
Corpora strata agris, nec tumulata jacent.
Tunc stupet, & gemit auditis HIERONYMUS istis.
Accurrit: preſto eſt, qua pietate valet.
Primum Animas ſtudium ſacra ſervare medela,
Inde manus medicas quærere corporibus.
Sollicituſque die vigiles quoque noctibus horas
Ducit, & affiduo cuncta labore gerit.
Atque humeris (quod plus mirere) cadavera geſtat,
Effodit terram, contumulatque manu.
Certa manent meritum pietatis præmia Cælo.
Exemplo Superis, diſcite, quam placeat.
Ex pueris unus jamjam moriturus, & omni
Senſu, ac mente carens, voce repente ſonat.
Hos dedit ore ſonos. Rem viſu cernere pulchram
Contigit. Hæc oculis quam ſpecioſa meis?

Ac

Ac cito quærenti reſpondit. In Æthere Sedes
Gemmis, atque auro viſa nitere mihi.
Fulta manu pueri iſta appenderat aurea verba.
ÆMILIANO hac eſt ſede parata quies.
Tales erubuit voces HIERONYMUS. Inquit.
O puer, o fileas. Fata te abire volunt.
Utque puer clauſit tranquillo lumina ſomno,
Ore verecundo mox fugit inde Pater.
Scire cupis, laudes qui vir mereatur? Habebit
Pro meritis juſtas, qui meruiſſe neget.


C A P. LII.

De ipsius Ægitudine, atque Obitu.

ÆMILIANUS amans Chriſtum veſtigia Chriſti
Sectatur, ſimilis nam dat origo necem.
Pro redimenda hominum mortem ſubit ille ſalute.
Pro vita gentis vulnere & iſte cadit.
Lethifero ſqualentes tabo HIERONYMUS ægros
Traetat, & affiduis adjuvat officiis.
Pluribus atque manu plagis medica arte medetur:
Nec labor excruciat, nec fugat inde metus.
Quid factum? O factum infelix, lacrymabile dictu!
Pestifera ſanie taetus & ipſe jacet.
Æſtu exinde furit febris improba ſæva maligno,
Extremum Patri mox minitata diem.

Exi-


Exiguo ille humili fert sterni membra cubili,
 Membra hucusque aspris excruciatâ modis.
 Nullus adest gnarus medicæ Artis. Quæritur ergo,
 Prospiciat quæ Animæ, Relligiosa manus.
 Sacramentâ statim Patri manus ista ministrat,
 Quæ Angelica sumens æstuat ille face.
 Inde vocat Fratres, sociosque. His dicta reliquit,
 Quæ Patre dignâ pio pectore sculpta tenent.
 Demum oculis fixis erectus ad astra, Deique
 Totus in intuitu, totus in obsequio,
 Nomen Iesu dum repetit, Nomenque Mariæ,
 Jamque sui compos lumina claudit: obit.
 Quo vultu! horrenti non pallor tristis in ore.
 Ridenti mestos exhilarat similis.
 Cautè ergo vivas, Tibi fit si innoxia vita.
 Vertat, si ausa nefas, ad meliora dolor.
 Nam vitam sequitur mors. Sancte vita peracta
 Felici sancte clauditur interitu.



CAP. LIII.

De quinque honoribus funus illustantibus.

Quinque recensentur celebrantes funus honores:
 Præmia digna Viro, dignus at ille magis.
 Orphana turba, & egenorum numerosa querelas
 Fundit, & illacrymans irrequieta gemit.
 Rure Sacerdotes (mirum!) triginta die una
 Dum adsunt, insoliti funeris auctus honos.
 Soma schæ, innumeræque simul densa agmina Gentis
 Oscula dant manibus, vestibus expoliant.
 Expositumque quasi ac Divi sacra Æde Cadaver,
 Dum colitur, pietas munera mira tulit.
 Inde solo assurgit, solita sed mole sepulcrum,
 Quod merita illustri laude corusca notat.
 Hæc humilis promissa refert Vir præmia Cælo.
 Gratius ima legit: dignius alta petit.



C A P. LIV.

Validum Argumentum, quod Patris Beati Sanctitatem probat.

J Am celebrè illustri fama decora alta sepulcrum
 Exornant, meritum testificata Patris.
 Non miseræ gentis vulgaria dona: tabellæ
 Affixæ memoris signa pusilla animi.
 At Equites, celsique gradus splendore verendi
 Munera Rectores, quæ pretiosa ferunt,
 Auxere ornamenta Patri, Nomenque, decusque
 Argumenta, gravem quæ exhibuere fidem.
 Ast magis illustrat memorando Carolus actu,
 Unde Patris tanto gloria teste niter.
 Carolus Antistes, Romanæ Purpuræ honore
 insignis, celebri sed pietate magis,
 Sacras, quæ ditiosis erant, inviserat Ædes,
 Somalchæ studio se gerit ille pari.
 Vox ille ingressus venerandi limina Templi
 Florigeri instar agri sensit olere locum.
 Adstantes (ait) aspiciens. Venerabilis ossa
 Istic sacra Viri contumulata reor.
 Nomen ut audiit ÆMILIANI, (hic cognitus ipsi)
 Educi tumulo protinus ossa jubet.
 Præcipit, hæc pariter sublimis ut elevet ara:
 Devotusque pia cum prece thure colit.
 Ergo quis incerto rationum fluctuet æstu?
 Sanctum luce ipsa clarius esse pater.
 Quem Vir laudatus laudet, laudabilis ille est.
 Quem ergo colat Divus, sanctus habendus erit.

LV.

C A P. LV.

Circa ipsius Miracula.

C Arolus ut Sanctum ÆMILIANUM Sanctus honorat.
 Et Sanctum Sanctis congrua mira probat.
 Legeris hoc multa opportune iparsa libello:
 Plura manent aliis facta legenda libris.
 Sat mihi pro ingenii modulo pinxisse Beati
 Fronte rudi effigiem, me colere ut pateat.
 Quisque suam poliant alii, atque Heroica dicant,
 Heroum laudes queis celebrare decus.
 Ipse tamen placuisse Patri mea Carmina credam,
 Non amat ingenium: cor placet ingenium.
 Quæ sincero humilis pedibus submissa Beatum
 Pectore, Musa, colit, non nisi grata venit.
 Sed jam ad propositum redeo: Miracula tandem
 Legali ritu constituere fidem.
 Neglexit mora tarda incaute examina feram,
 Cum jam Aris coleret gens numerosa Patrem.
 Lex Papæ Urbani Octavi tunc ordine verso
 In longum traxit non bene ducta prius.
 Ast meruit quartusdecimus Benedictus in ævum
 Laudem hanc. Nullo res tanta silenda die.
 Vox benedicta, Virum per quem festiva merentem
 Tempa humili decorant cum prece thure pio.
 Vox benedicta, sacer meritis qua fulgidus Ordo
 Luce magis rutilat splendidiore Patris.

E 2 Pa.

Patronum ergo quisque sibi legat *ÆMILIANUM*,
 Qui sibi culparum conscius, ille magis.
 Numinis hinc læsi quæsitâ pace per ipsum
 Ediscat simili tergere fonte scelus.

C A P. LVI.

*Aliud Argumentum, quod Beati Patris
 Sanctitatem evidenter probat.*

NUllum hominum si quis spernat: se spernat & unum;
 Se ulterius sperni spernat, is alta petit.
 Huic tam celsus apex meritorum, tangat ut astra
 Calituum Virtus associanda choris.
 Nonne tribus micat *ÆMILIANI* cincta coronis
 Frons humilis? Triplici lumine gemma nitet.
 Hic nullum sprevit, sibi qui sic prætulit omnes,
 Se ut pueris, miseris, subderet agricolis.
 Unum se sprevit, titulis qui se abdicat altis,
 Et, quasi fons, veniam quemlibet æde rogat.
 Denique se sperni sprevit, qui dum indiget ultra,
 Creditur insanus, pungitur inde jocus.
 Clarius ergo die argumentum suadet, ut inter
 Divos jure habeas, *ÆMILIANE*, locum.

Ad Beatum Patrem Prælatio.

EN accedo Tuam supplex, *HIERONÏME*, ad aram:
 Exhibet atque humilis cum prece dextra Librum.
 Hic memorat Nomenque Tuum, laudesque Tuarum
 Virtutum, meritis præmia certa Tuis.
 Non plausus suasit male sanâ cupido: nec audet
 Æmula facta tubæ fistula ferre sonos:
 Antè oculos posui mihi quinque ad carmina causas:
 Quælibet assensu non aliena Tuo est.
 Prima Dei major, quæ assurgit, Gloria, Divos
 A populo impensus dum veneratur honos.
 Altera præcipuo cultu decorare merentem:
 Te quidem habere decet, quod meruisse liquet.
 Prosit ad exemplum: Quisquis Te laudibus effert,
 Se laudandum animo facta sequente probet.
 Nonne Tui Cætus Patribus persolvere grates
 Fas mihi pro meritis? Res jubet ipsa loqui.
 Addidit & vires merces speranda labori.
 Tu potes. Æqua mea est causa. Rogare licet.
 Numinis ira minas numerofo crimine jactat.
 Tanti horrore foci conscia mens trepidat.
 Heu! me peniteat verè. Præstare quod optem,
 Per Te missa Tibi Gratia sola potest.

Pro solemnī Beatificatione.

CÆlica, quæ latuit, Virtus male cognita Terris,
 Effulget meritis irradiata suis.
 Nimirum sacris Te, HIERONYME, cantibus effert
 Ara, frequens posthac condecoranda prece.
 Hinc primus Venetæ Gentis nitidissimus Ordo
 Clarior in radiis, ÆMILIANE, Tuis.
 Lætor. Sic memorem erga Vos, queis debeo, Patres,
 Me probat obsequio Carminis officium.
 A primo Cætus Vester laude emicat ortu
 Exemplis Vitæ, fructibus ingenii.
 Unum aberat, laudis per quod lux pura niteret.
 Nunc plenus rutilo de Patre Proles honos.

*Explicatio Signorum, quæ apparent in
 Imagine Beati Patris,*


Quem colis effigie, est HIERONYMUS ÆMILIANUS.
 Excelsus Venetæ nobilitate Togæ.
 Somaſchæ instituit Cætum pietate nitentem,
 Cui Doctrinæ addunt lumina cæssa decus.
 Ante oculos ipsi stat imago Virginis Almæ,
 Per quam parta salus corporis, atque animæ.
 I circa vincula manus tenet una, atque altera claves.
 Ut quo nocte una prodigiola notent.

Com-

Compedibus solvit: claves Virgo exhibet inde,
 Queis portas referet carceris ille fugæ.
 Nec lat. Lumen habet juvenis, quo crimina delicta
 Exemplis, penis, fletibus assiduis.
 Sic labe absterita nitet alta sede Beatus.
 Clamat. Tanta potest, si dedit, Alma Parens.

Aspicienti ejusdem Imaginem.

Aspicis effigiem ÆMILIANI? Respice Vitam.
 Fine pio claudes, si male cepta tua est.
 Exemplo monitus cælestem consule Matrem.
 Exora: votis præsto erit illa tuis.
 Promptus ini concepta. Noceat differre paratis.
 Declinet laqueos mox pede cauta fuga.
 Detestare Boni summi lædentia Numen
 Crimina, multiplici quæ repetita die.
 Quæ expendit scelus infelicia tempora labe,
 Felici sanctum dein vice penset opus.
 Atque hoc ferveſcat miserandi proximi amore.
 Hac pietate magis Cælicus ardet Amor,
 Quid doceo ulterius? Doctrinas percipe Libro.
 Corde hunc sincero perlege, Proficies.



E 4

Ap-

Apparet, quod B. Hieronymus Æmilianus Prophetiæ dono fuerit insignitus.

Providus assignat constructa HIERONYMUS Æde
Abdita Virgineo claustra tenenda Choro.
Postquam Masculea incendit studium Orphana proles,
Femineæ pariter cura gerenda subit.
Illic Virginibus servanda Monastica lex stat
Non sacra; at sacre Relligione pari.
Est equidem minor ætas, sed quæ adolescit, ut arbor;
Indiget hinc, succos imbre rigante trahat.
Res prima occurrit primo meditanda labore
Actu difficilis, pondere namque gravi.
Quam legat, ut reliquis bene docta Antistita præsit,
Virtutum & præstet lumine prima gradu?
Quam legat, ingenio cujus solertia cauto
Germina pulchra ferat, gramina mista terat?
I: venit: lectamque novæ jam destinat Ædi
Spe certa, accedant optima principiis.
Orphana (quis credat?) delecta puella decennis,
Parvula majores quæ regat imperio.
Monstrum mens humana horret, dictoque reclamat.
Attamen eventus Cælica facta probat.
Virgineus Chorus obsequitur, ductuque puellæ
Felici ad votum sydere cuncta fluunt.
Consiliis matura Dei nam quælibet ætas,
Atque impos jussu Numinis alta potest.

Vir-

Virtutum gradibus dum Virgo adolescit, & annis,
Tale ad opus, vario tempore lecta, redit.
Septenis vicibus, faustis successibus una
Claustra hæc præceptis Orphana Virgo regit.
Orphana Virgo decennis habet, quo grandia sumat,
Perficiatque novas sorte ferente vices.
Ergo Pater novit Cælesti Flamine ductus
Virginis ingenium, consiliumque Dei.
Ergo ipirituum merito discretor habendus,
Non cernenda homini cernere si ipse valet.
Naturæ finès egressa, modumque, fidemque
Qui novit, cæso lumine nosse putes.
Præcia cui rerum, cui mens præfaga futuri
Non nisi de Cælo voce loquente canit.

*In Laudem Beati Hieronymi
Æmiliani.*

O D E.

Dotes egregias, facta HIERONYMI
Devotis celebrent Carmina plausibus.
Exemplar teneat quisque imitabile:
Patronumque sibi legat.
Primis, ille sequens, quæ juvenilia
Annis illiciunt non bene providas
Mentes consilio, se facilis trahi
Blandis illecebris finit.

Ast;

Ast, fors dira gravi vulnere dum ferit,
 Namque arctant miserum vincula ferrea,
 Sævi inter tenebras carceris abditus
 Amissum recipit jubar.

Tunc Patrocinio Virginis inclytæ,
 Fidens auxilium dum lacrymis rogar,
 Mox liber duplici prodigio fugit
 Obsessa incolumis via,

Solvit vota cito sollicitus pede:
 Dein promptus memori pectore moribus
 Sic frænum posuit legibus asperis,
 Ut primos redimat novis.

Declinat subito delicias fuga:
 Fert sponte assiduis dura laboribus:
 Torquet se horrifico pervigil in specu:
 Jejunam cruciat famem.

Totum se Angelicis ignibus æstuans
 Offert servitio Numinis: insuper
 Ipsi quæ placeant, suscipit ardua,
 Præsto maxime egentibus.

Constructis inopes excipit orphanos
 Millenos domibus, sustinet, instruit:
 Servat Virginibus lilia candida:
 Amittit comites Venus.

Dum raris Pietas actibus attrahit
 Mirantes populos, Cælica lux Viris
 Claris ingenio, sanguine, suggerit,
 Addant se socios Patri.

Hinc fulgent variis Italiæ Urbibus
 Ædes eximio conspicuæ Choro,
 Surgunt Christicolis unde salubria
 Virtutum optima semina.

Et

Et me, Dive Pater, præmia cui dedit
 Cello pro meritis in folio Deus,
 Saltem sede procul destinet affectam,
 Fac quæso precibus piis.

Ast Te, Sancta Trias, qui Deus unus es,
 Oro suppliciter fata HIERONYMI
 Dum opto fausta sequi, Gratia sit prior:
 Par sit corde mihi dolor.

*Hujus Beati Cultus maximi habendus;
 nam cunctis maxime prodest.*

Prodit ad exemplum, prodestque HIERONYMUS illis,
 Queis cor sollicitet regula certa via.
 Sicuti morigeris innoxia cursibus atas,
 Is facili metuat lubrica adire pede.
 Qui vero scelerum sibi conscius angitur, horret,
 Corde dolens similes exeat ad lacrymas.



In

In ejusdem Honorem.

O D E:

Iste, præclarum Veneta cui in Urbe
Detulit Gens ÆMILIANA Nomen,
Qui suis aucto meritis nitore
Clarior extat.

Iste Mavortis juvenis secutus
Bellicas artes gerit arma forti
Dextera, & partis retulit triumphis
Præmia laudis.

Per gradus scandens variis merendo
Miles, & Ductor, celebratus Heros,
Celsus affurgit Titulis, ubique
Nomine clarus.

Ast propè infenso jácuit furore
Carcere obscuro misere peremptus.
Virginis prompto auxilio vocatæ
Fugit ab hoste.

Lubricè hinc lapsus memorans juventæ:
Cogitans mundi pefitura dona:
Sontibus certas sine fine pœnas,
Seria novit.

Protinus vanis animo abdicato
Sæculi pompis, titulis superbis,
Ac voluptatum illecebris malignis,
Cælica quærit.

In


In Deum exardens face sancta amoris
Ejus offensas lacrymis abhorret.
Ac sui judex male facta plectit
Vindice pœna.

Inde fraternæ stimulo salutis
Orphanos patris fovet instar: ægris
Consulit: casus miseratur omnes
Dulcis egenti.

Dura, quæ passus placitura Cælo:
Proximis & quæ utiliora sumpsit,
Quæve ad exemplum subiit labore,
Vix referenda.

Ergo Virtutum meritis refertus
Infidet Cælis folio Beatus:
Nomen & passim veneratus Orbis
Laudibus effert.

Numen, o quæso ÆMILIANE, poscas,
Det reis nobis veniam, sed ante,
Quod Tibi, munus: dolor imbre verus
Crimina tergat.



Hymnus

H Y M N U S.

Pars prima.

SI nosse quæris Cælicas,
 Et laude dignas inclyta
 Dotes Viri, cui lumine
 Frons cincta in Ara prominet:
 Hic celsus in Republica,
 Quæ nulla in orbe celsior,
 Virtute clarus bellica
 Altos honores abdicat:
 Divini Amoris pectore
 Dum fervet ignis, anxium
 Impellit ardor sedula
 Adeste cura proximis:
 Res sumpta ab ipso tempore
 Audita nullo: colligit,
 Passim vagantes orphanos,
 Mores; & artes quos docet:
 Medentis arte, ac provida
 Ægris ministrat dextera.
 Nec pestis horret tangere
 Quæ læsa tabo corpora:
 Alit relictas filias:
 A labe servat virgines;
 A forde fædas extrahit:
 Nullumque egentem præterit.

Clemens Deus, Te poscimus,
 Exempla nos hæc provocent,
 Patrisque nostris cordibus
 Accendat ignem Charitas.

Secunda Pars.

A St, qui benignus proximis
 Cor mite cunctis exhibet,
 Judex severus legibus
 Se torquet asper moribus,
 Quidquid laborum durius,
 Subire in æde nititur;
 Cervice lignorum struem,
 Manuque desert hydrias.
 Huic esca dura, ac mucida
 Sunt frustra panis rustici,
 Jejuna postquam longius
 Vexata languit fames.
 Latens in atro carcere
 Montis caverna devia
 Insomnis horas noctium
 Orante fletu transigit.
 Nec sat: frequenti verbere
 Vexasse corpus creditur.
 Fessoque si detur quies,
 Cavus, nec æquus dat lapis.
 Nobis per hunc, o Trinitas,
 Concede clemens gratiam,
 Pænæ doloris intimi
 Culpas juventæ deleant.

*Beatus Hieronymus Æmilianus quandam
habet similitudinem cum Divo
Ignatio Lojola.*

Hanc Laudem ei tribuit quadam parte suæ Pa-
negyris, quam in Incurabilium Templo
solemniter recitavit, eloquentissi-
mus Pater Gebellinus So-
cietatis Jesu.

OUam facili, Ignati, Te HIERONYMUS exhibet ore!
Quæ Te ornant, Dotes ÆMILIANUS habet.
Excelsæ Gentis de sanguine surgitis ambo:
Indolis eximia nobilitate pares.
Sublimes pennis aquilas imitante volatu
Itur, laudis amor qua docet ire, via.
Inclyta Mavortis vexilla secutus uterque
Pectore magnanimo fortia bella gerit.
Ast cursum rupit fors tantarum invida laudum;
Namque ambo misera conditione dolent.
Nempe gravi Lojola gemit crus vulnere læsus:
Ferrea & hunc toto corpore vincla premunt.
Decumbit querulus tristi Lojola cubili:
Inque specu tetri carceris Iste jacet.
Fausta tamen miseranda ærumna faventibus astris,
Felix infensæ Sortis uterque vice.
Triginta annorum ambobus par circiter ætas:
Par ardor: fors par: par favor Ætherius.


Illu.

Illustris Cælo radius delabitur alto.
Pulsa umbra puro lumine uterque videt.
Jam mundana vident celeri labentia cursu:
Compleri mæsto gaudia falsa die.
Jamque vident terris subeuntia crimina pœnas,
Æternis Erebo mox crucianda focis.
Atque vident, quanta ad tempus clementia Cælo,
Ut nolit iudex, qui velit esse pater.
In tristes ambo lacrymas tunc lumina solvunt.
Corde trahit gemitus, qui ferit ima, dolor.
Viribus interea exurgit Lojola receptis.
Egrederis cæco Tu, ÆMILIANE, specu.
Muneribus pia Virgo suis cumulavit utrumque.
Moribus hinc castis spondet uterque fidem.
Virginis auspiciis primo rerum ordine verso
Recta ambo instituunt lege salutis iter.
En igitur Lojola illinc, HIERONYMUS istinc
Vita passim homines erudiente nitent.
Pauperies subita ejecto alto purpuræ honore,
Ac titulis positis orbe stupente micat.
Virtutum vario splendore coruscant uterque,
Ut Regum rutilat multo adamante caput.
Construit innumeris Ignatius urbibus ædes,
Queis pueros, juvenes docta Minerva colit.
Colligit & pueros, per quas HIERONYMUS urbes
Transit: amore patris, qui sine patre, fovet.
Ac pietatis opus, quod dulce levamen egenis
Profit, jucundus querere utriusque labor.
Instituere novos Cætus vexilla sequentes.
Agmen lege suam ductor uterque regit.
Fortunati ambo; sed tanto digna triumpho
Virtus, quæ vitiiis bella timenda movet.

F

D.

Doctrinis, pietate, exemplis Cætus uterque
 Cum bene sit meritus, dat meritum Patribus.
 Namque Dei major Patribus dum Gloria curæ est,
 Patris & igne sui fervet uterque Chorus.
 Publica qui cecini, memoro privata virorum,
 Temperet a lacrymis quis lacrymanda legens?
 Pœniteat vere, vero qui utrique dolore
 Displicuisse sciat, quod juvenile placet.
 Se addicunt curis gravibus, parilique labore
 - Ad vindictam angit mollia membra rigor.
 Alter & alterius quasi discat facta magistri
 In corpus variis sævit uterque modis.
 Dura pati, ardua sectari, dum vita superfit,
 Sepositus studio quærit uterque pari.
 - Hinc referam glaciale ambos & frigus, & æstus
 Ardentes: longam sustinuisse famem:
 Horrendique specus tenebroso carcere clausos
 Affidua infomnes ingemuisse prece.
 His lacrymis quasi gemma absterfa nitescit uterque.
 - His meritis sedes aurea utrumque tenet.
 Si ergo Lojolæ communi Gloria plausu,
 Laus similis simili est, ÆMILIANE, Tibi.



Etiam

*Etiam D. Cajetano Thienæo similis
 apparet.*

ET Cajetani videor mihi cernere vultum,
 Effigie quoties ÆMILIANUS adest.
 Nam Cajetano sociali junctus amore
 Exceptit sacros sæpius auræ sonos.
 Quod si hunc consiliis rexit Caraffa magister,
 Cajetani auxit Cælica lingua faces.
 Ejus ab exemplis, monitisque HIERONYMUS hausit,
 Perfectos monstrent quæ documenta gradus.
 Hinc didicit captare Animas: feliciter uti
 Venatu, & structis aucupis arte dolis.
 Erexere Ambo studiis certantibus ædes,
 Ut pietas agris provida ferret opem.
 His operosus amor noctuque, dieque ministrat
 Corde laborantes exagitante manus.
 Peste locis grassante stetit generosus uterque:
 Tangere nullus erat tabida membra pavor.
 Jejunos traxere dies: ac noctibus horas,
 Immixta lacrymis duxit uterque prece.
 Martyrium supplet, quæ ad pœnas prona voluntas.
 Causa dolendi impar: par sed utrique dolor.
 Atque novos Cajetane, ac HIERONYME per vos
 Relligio Cætus gaudet habere duos.
 Quos Cætus? quales doctrinis, moribus! Ambos
 Proventus sacris laudat opimus agris.
 Cajetani illinc Proles, HIERONYMI & istinc
 Ingenio prosunt, at pietate magis.

F 2

Non


Non ergo distat longo discrimine ab illa
 Hic, per quem Venetæ gloria adaucta Togæ,
 Cajetani igitur virtuti debita si laus,
 Huic similem virtus ÆMILIANA ferat.

*Tria Miracula collecta ex Historia Vita
 Beati Hieronymi Æmiliani, quam
 nuper in lucem edidit Reveren-
 dis, Pater Santinelli
 C. R. S.*

O Uæ nuper comperta mihi miracula trina
 Non sunt carminibus prætereunda meis.
 ÆMILIANÆOS pueros via longa fatigat,
 Anxia & arescunt pallida labra siti,
 Exhibet excitus dulci pietate colonus
 Vinum, atque afferri pocula plena jubet.
 Tunc uxor querula inclamat, Quæ insania velle
 Doliolo exhausto damna subire domum?
 Ast ea, dum increpuit repetita lege maritus,
 Cogitur invita dona parare manu.
 Fortunata tamen, tanto non digna favore,
 Fegnore cui crevit, quod dedit urna, merum,
 Namque eadem mensura manet, vindemia donec
 Porrigat Autumnno pressa falerna novo.
 Prodigium simile huic, Lector mirare secundum,
 Altera felici femina sorte stupet.
 Ista tamen meruit pietatis præmia; euntes
 Hæc pueros vino nam recreare solet.

Ast

Ast rediens ipsam improvisa voce maritus
 Vinum illud venum jam monet esse datum:
 Quid faciat subitura viri furiasque, minasque?
 Mistra (inquit) fontis suppleat unda vices.
 Mirandum! Quæ fert aquam, inutilis hydria venit:
 Nulla in doliolo damna reperta meri.
 Hæc prope Somascham duo portenta orta feruntur:
 Et fors Ticinum tertia visa prope:
 Se se cum pueris confert HIERONYMUS illuc,
 Gens ubi seposito Relligiosa loco:
 Gens, cui Bruno pater, cui dat Carthusia nomen:
 Regula cui mediis aspera deliciis.
 Tunc Patres, pueris nimio sitientibus æstu
 Ut lymphæ recreent arida labra, rogat:
 Hydriam aqua plenam pueris, vinumque Magistro
 Sollicita Patres exhibuere manu.
 Grates ÆMILIANUS agit: crateraque vertens,
 Cum renuat vinum lumerè, miscet aquæ.
 Nec môra: mutato rubuit lymphæ alba colore,
 Gustandumque ori jam sapit unda merum.
 Laudandus laudes timet, innocuisque puellis
 Dans istud merito; dum meret ipse, fugit:
 Lex immota manet sanctis horrescere plausu.
 Qui sibi complacat, displicet ille Deo:



F 3

Mo.

*Modus, quo Beatus Hieronymus duos
blasphemos corrigit.*

A Trox orta duos inter discordia fratres
Naturæ rupto fœdere bella ciet.
Occurrente ambos vultu una semita euntes
Sors tulit: & tener hac ÆMILIANUS iter.
Judicio oppositi verbis rixantur acerbis.
Blasphemias jactat, quæ furit ira minas.
Vocem effert, siquidem auditis HIERONYMUS horret.
Heu! in quo læsi vos læditis ore Deum?
Nonne bonus Deus est? Annon & providus in vos?
Nil valet. Audenter vox fera sævit adhuc.
Tunc, dum sordet humus, collectis sordibus inde,
Ac genibus flexis talia voce dedit.
Os mihi præcludat cænum, quod cernitis, istud:
Cænumque excludat nonnisi vestra quies.
Obstupere animis, vultu rubuere furentes:
Sæva procellosi cessit & ira maris.
Se se amplexati renovant pia fœdera fratres:
Ac memor auctorem pacis uterque canit.
Discat blasphemos siquis facili excipit aure:
Si cohibere potest, qui tacet, ille fovet.
Angelicum credas discordes jungere: contra
Dividere unanimes Dæmonis illud opus.

Quam

*Quam Gratiā B. Hieronymus moriens
sua Somaschæ vaticinatus est, hanc ipse
per illum diuturno tempore miraculose
obtinuisse credidit.*

QUAMPLURES Somaschus ager feliciter annos
Innocua potuit fertilitate coli.
Somaschæ Cæli nimbis grava ira pepercit,
Finitimis terris dum fata sæpe cadunt.
Prodigiumque oculis ingens vidisse sacerdos
Testatur, dignus cui sit habenda fides.
Cominus ex alto gelidus superastitit imber
Horrificis populo jam trepidante minis.
Mox in vicinos nubes tulit imperus agros,
Queis misere grando germina sternit humi.
Jure Tibi merito cuncti hoc, HIERONYME, vertunt
Nam per Te, quod Tu vaticinatus, habent.
Dixisti moriens. Somaschæ fausta precabor:
Quæ cano, at apposita conditione gravi.
Vocibus horrefcas blasphemis lædere Numen,
Somascha: evitent furta dolosa manus.
Si hæc serves, felix tellure exurget arista,
Quæ nunquam infesta grandine damna feret
Verum adeo (gentes audite: audite coloni)
E Cælo clades crimina sæpe trahunt.

F 4

D 10

Duo insignia miracula, propter quæ præcipue declaratum fuit, ut Hieronymus Æmilianus inter Beatos numeretur.

Incurabilem genus incurabile morbi,
 Obstupuit, quisquis vidit in æde novum.
 Creditur esse novum, uno unum quod tempore corpus
 Damna ferat medico dinumerata decem.
 Virgo, ætas cujus quadraginta attingit annos,
 Non vulgari ortu, corde pio, sed inops,
 Multis læsa diu membris jacet ægra cubili,
 Ingemit & variis excruciatâ malis.
 Quid faciat? Quæ spes? Ipsi est HIERONYMA nomen.
 Ipsi HIERONYMUS is, qui medeatur, erit.
 Jamque probata Patris factis Heroica Virtus
 Exigit & cellis mira patrata modis.
 Ad lectum accessit Somaſchæ ex fratribus unus.
 Natalem Domini præveniente die.
 Ac de Patre rogatus ait. Per te ille Beatus
 Dicetur, per eum si tibi danda salus.
 Vocibus erecto his animo mox protulit ore
 Ferventes Virgo corde sequente fonos.
 Si placet, o Deus, ÆMILIANI attollere laudes,
 Inter mira salus sit mihi parta decus.
 Nox sacra Natali venerando tota peracta est
 Inter devotas spe vigilante preces.

Se

Se primo mane aspiciendum HIERONYMUS offert,
 Cui stetit a dextris regia Virgo Parens.
 Nuncio fausta (inquit). Quælitam ferre salutem,
 Quam veneror Dominam, me tibi Virgo finit.
 Imposita ergo manu capiti me imponere legem,
 Abscedant membris noxia cuncta, scias.
 Hinc læsis admota locis tua dextera certam
 Constituat, plagas mox abiisse, fidem.
 Tum cum Regina his dictis evanuit. Ægra
 Se illasam tactu corporis esse probat.
 Jamque calore vigent munitæ robore vires,
 Non informi utero detumueret minæ.
 Læta toro surgit, sumptò ac testatur amictu
 Exaudisse preces Numen honore Patris.
 Obstupuit Rector, Medici, sociæque, ministrique,
 Ac jurata fides egressa prodigiola refert.
 Res mira, atque egressa modum trahit undique gentem:
 Et canit excellum Fama locuta Virum.
 Audit hoc pueri genitor, mæstissima & uxor,
 Tristi quos casu fata dolere jubent.
 Septennis puer ille suo miserandus ab ortu
 Torquetur. Diro spasmate membra rigent.
 Hoc est contractis nervis dolor asperat artus,
 Convulsoque puer corpore damna subit.
 Nam caro tabescit macie: stat pallor in ore:
 Vix hominem forma, qui videt, ille putet.
 Mente stupet nube obducta quasi luminis expers:
 Vivens vivendi nescius ipse jacet.
 Viribus elanguet: certo vestigia gressu
 Non premit; hinc membris irrequieta quies.
 Deficit officio Medici studiosa facultas.
 Desperata salus, quæ negat artis opem.

Aro

Ars quid enim valeat? Violento epilepsia motu
 Multiplici quassat membra caduca vice.
 Dum ÆMILIANI gens celebrat mirabile factum,
 Fidit, & auxilium polcit uterque parens.
 Quæsitum de illa, Somaschæ a Fonte perenni
 Quam traxit supplex ÆMILIANUS, aqua.
 Dant puero; ac præmittunt vota Deoque, Deique
 Matri Patronum sollicitante prece.
 Nullo tristis abijt gnato lux illa favore,
 Nec genitorum hinc spes lapsa timore cadit.
 Imo preces fervere magis, plus fidere corda,
 Constantique animo Te, ÆMILIANE, vocant.
 Nec decepta fides. Tranquilla nocte quiescit,
 Et longo reficit membra sopore puer.
 Ac mane evigilans, sol dum aureus æquore surgit,
 Voce hilaris prompta, fronte serenus ait.
 Mater, io, gaude. Genitor lætare. Salutem
 Jam tandem Sanctus reddidit ille meus.
 Quis tuus est Sanctus? Quærunr: respondet & ipse.
 Est, præsens isto cujus imago loco.
 En sanctus meus. Est HIERONYMUS ÆMILIANUS:
 Ille, accepta a me cui referenda salus.
 Tunc, qui semianimis jacuit, lecto elevat artus,
 Nam cepit facili spiritus ire via.
 Convaluere statim redivivo corpore vires,
 Atque colorato ridet in ore jocus.
 Responsa opportuna dat apra mente roganti,
 Morbum ut vix credas sustinuisse diu.
 Grates egit uterque parens. Deo honos: decus Almæ
 Matri: tertia laus, ÆMILIANE, Tua est:
 Pluribus hic error. Sanctos dignantur honore,
 Numinis obliti, Virginis immemores.

Re-

Regem, Reginamque colas prius, inde ministros.
 Fer Famulis; Dominos vota sed inspiciant.
 Si fonte, inde lacu rivorum elabitur unda,
 Ergo rivorum est, non nisi fontis, aqua.

*B. Hieronymus inter assiduas vere po-
 nitentia lacrymas metu trepidat.*

Q^{ui} pectus contundens saxo HIERONYMUS antro
 Se abdidit, fertur contremuisse metu.
 Qui corpus cruciat pænis Hieronymus alter
 Afferit in rigido se trepidare specu.
 Quid paveant? Timet ille tubam tumultata vocantem
 Offa: ac districti Judicis iste minas.
 Ergo si illis, purgatos quos flebilis unda
 Sanctificat, pavidis concutit ima tremor,
 Quæ decepta tenet vos spes, quis crimina mille
 Non tergit trepidans imbre cadente dolor?
 Horrete, o miseri. Non servat sanguine Christus,
 Ni redimant Christi sanguine vos lacrymæ.
 Elatere effluxit Crucifixi aqua juncta cruori:
 Hæreat ad fructum fletibus ille cruor.
 Pendent latrones redimendi sanguine eodem.
 Qui gemitu veniam non petit, ille perit.

Unde

Unde provenerit dilatio Beatificationis Hieronymi Æmiliani.

Dilatam, ÆMILIANE, decus Tibi dæmonis astu
Crediderim; ratio nam facit ista fidem.
Quo melior virtus, magis invidet improbus hostis:
Quid melius pueros quam coluisse inopes?
Infernam assumit speciem sine lege relictus;
Ast cultu sancto fit puer Angelicus.
Orphana turba pio ÆMILIANUM incendit amore;
Quod Cælo sciret posse placere magis.
Ergo, ne ÆMILIANI exemplum luce pateret,
Unde insigne bonum, dæmone agente mora:
Discite, queis superum dono permissa facultas,
Quale alere hos pueros sit Pietatis opus.

*Beati Hieronymi Æmiliani Cineres ex
humili sepulcro educti: in nobili Ar-
ca decenter positi: ac super Aram ho-
norifice elevati debita veneratione co-
luntur.*


Non digno Ossa Tua, ÆMILIANE, educta sepulchro
Nobilis aurato jam tenet arca sinu.
Jamque triumphali pompa delata per agros
Magnifica excelso sublevat Ara gradu.

Jam

Jam Somascha ac finitimis gens excita terris
Corde pio Cineres obsequiosa colit.
Accedens veneror submisso poplite & ipse,
Ipse Tibi pariter thura, precesque fero.
Ille Cinis memorat crebris vexata flagellis
Terga, ac membra aspris excruciatâ modis.
Quæso, Pater, graviora Tuis mea crimina culpis,
Ni par pœna, pari deleat imbre dolor.
Ni me, ut Te, faciant sine Judice verbera sanctum,
Venturo servent Judicem lacrymæ.

Idem Argumentum.


Sacrati Cineres minus apto hucusque jacentes,
Surgite condendi nobiliore loco.
Nec vos ancipiti inspectet devotio cultu,
Certa sed injuncta religione colat,
Dignus erat, populo credente, HIERONYMUS Ara:
Dignum Pontificis voce loquente patet.
Ossa ergo si justa fides illustrat honore,
Justa ornet Pietas ore precante Virum.



Qui-

*Quinam sit Beati Hieronymi Æmiliani
Character Antonomasticus.*

CÆlituum plures omisso nomine vero
Signo aliquo illustri lecta figura notat.
Nempe viri nomen consueta voce filetur;
Propria sed virtus cognita supplet idem.
Nonne Rosarii, amor quem fecit Virginis Almæ
Auctorem, tacito nomine nomen habet?
Qui latere, & manibus, plantis quoq; stigmata monstrat,
Franciscum novit vel rudis ingenio:
Doctorem Angelicum, qui Solem pectore gestat,
Si lateat nomen, nominat effigies.
Divus & ille, Dei cui cordi Gloria major,
Te, Ignati, facile vel sine voce refert.
Venator (dicant) Animarum. Qui audiat, olli
Non Cajetanum nunciet ipse sonus?
Ergo, si amore Dei Æmiliani maxima cura
Ut patri, amisso turba relicta patre,
Dicam: Patricius, cui gens fuit orphana curæ:
ÆMILIANEI nominis ista nota est.



*Gratulatio ad Beatum Hieronymum Æ-
milianum de singulari Filiorum suo-
rum Charitate erga Orphanos ipsi ca-
ros in tribus Nosocomiis.*

GRatulor excelsum iusta Tibi laude Beati
Dandum olim meritis, ÆMILIANE, decus.
Gratulor at magis id, quod plus indulget amori,
Nam Tibi grata magis, quæ graviora forent.
Temporibus promotæ tuis, sudoribus aucta,
Rectaque consiliis jam Loca in urbe vigent.
Exemplo monstrante viam Te auctore recepta
Orphana gens triplici stat bene sulca Domo.
Divis Joanni, & Paulo sacra cingitur Ædes
Hospitiis. Vetus hinc: surgit & inde novum.
Incurabiliū floret quoque tertia sedes.
Lege pari his colitur turba relicta locis.
Inque Domo trina pietas laudata Tuorum
Exequitur, mores quæ docuere Tui.
Fervet quisque animo studiis certantibus. Instant,
Consona principiis ordine cuncta fluant.
Talia qui, ÆMILIANE, vides, lætare precando,
Semper ut hoc Proles æstuet igne Patris.

Circa Juventutem Beati Hieronymi.

Quæ Vitæ ÆMILIANI actus memorasse decori est,
 Namque sua celebris quilibet Historia,
 Illi, temporibus reliquisque consona, scribunt,
 In diversa animos sola iuventa trahit.
 Pars vitiiis sædasse refert hos turpibus annos,
 Pars culpas minuit: plura neganda putat.
 Si mea queratur, primis sententia adhæret.
 Gloria & hinc major Numini, Honorque Viro.
 Quanta Dei Bonitas in Paulum vertere Saulum
 Per lacrymas dono sanctificante reos!
 Quanta hominis Virtus, cœnum que efformet in aurum,
 Toxicum & educat balsama vipereo!
 Nonne & corda levat peccantibus utile factum
 Desperante Dei munera spreta, metu?
 Annon sic pateat, quod, quæ de pectore manat,
 Baptismo sordes abluat unda novo?
 Spe posita Judam suspensum perdidit arbor.
 Matthæusque Choro lectus Apostolico.
 Ergo Juventa gravi ÆMILIANI labe notetur,
 Vita ut fumat iter nobiliore via.
 Et jam confertæ gemmis variante colore
 Luce ornant sordes irradiante caput.
 Cingitur obsequiis, celsaque Beatus in Ara,
 Laudandi inde actus quod meruere, tenet,
 Quæ Martæ nitet ore soror laudata magistri,
 Effet sæda minus, laudis honore minor.

Cul-

Culpa odium: divinus amor: lacrymosaque pota
 Lucidior gradu fulgida ad astra ferunt.
 Jure quidem. Toties victor dum vincitur hostis,
 Ardua pugna magis; laus venit ampla magis,
 Cui Bonitas natura, Potentiaque ipsa voluntas.
 Dona Dei hinc miris splendidiora modis.
 Lazarus e tumulo, peccantique a sorde resurgens
 Divinum celebrant Nomen honore pari.
 Ambo parem Auctori reddunt miracula laudem;
 Omnipotente probant nam Pietate Deum.

*Cur probabiliter Beatus Hieronymus ad
 fundationem suæ Congregationis
 Somaſcham delegerit.*

ME stupor, ÆMILIANE, tenet, nec cognita res est
 Quonam consilio rus tibi dulce sapit.
 Natus in Urbe excelsa, clara quoque oppida lustrans,
 Rus horum spreta nobilitate legis.
 Deligis ignotam Somaſcham ignobile nomen,
 Quam non multa colit gens: ubi rara domus.
 Frugiferis meditans fundandam legibus ædem
 Fundamenta ædi, quæ minus apta, jadis.
 Non bene conveniat rem grandem sumere mente,
 Signare ac fines deteriore loco.
 Cumque novum, talemque velis affurgere Cætum,
 Qui ignaros sapiens moribus instituat,
 Quid peragat virtus sylvestri limite septa?
 Quæ agricolis reddat præmia parva Ceres?

G

Tunc

Tunc responsa dedit (Pulo sic) HIERONYMUS ista,
 Quæ venerabunda voce Camæna refert.
 Natus Homo Deus in stabulo miser incola ruris
 Paupere sede suis recta habitanda docet.
 Seposita, ac vanis curis quæ libera sit, mens
 Plus meditata Deum, plus studiosa colit.
 Turba rudis (dicunt) fideique ignara per istos
 Late sparsa agros, erudienda diu.
 Nobis istic prima manus. Primordia crescent
 Numinis auspicio perficientis opus.
 Divinum, ut sit opus, nobis per vota petatur,
 Influat alma Dei dextra ferentis opem.
 Ipse vias faciet, celebres queis fusa per Urbes
 Se in plures facile dividat una Domus.
 Atque equidem tumulo mea spe tali ossa quiescent,
 Quod superis Cætu laus sit & aucta meo.

*Aqua Fontis, qui B. Hieronymi precibus
 prodigiose extitit, adhuc his tempori-
 bus effluens ægrotantibus salu-
 taris esse solet.*

FRrat dum populus deserto Hebraicus, ulla
 Non est, quæ recreet lymphæ reperta sitim.
 E saxo virgæ imperioso verberare traxit
 Provida tunc Mosis dextera fontis aquam.
 Id pariter factum ÆMILIANI corde precante,
 Dum Orphana gens puteum quærit in æde nova.
 Jam prope Somaicham apta montis parte recedens
 Crescenti numero par quoque structa domus.

Cun-

Cuncta favent, sed abest fontis, vel fluminis unda:
 Converso ad superos Patre redundat aqua.
 Ergo Deo dilectus & ÆMILIANUS habendus,
 Cui pars, si Mosis plena favore manus.
 Facta probant; nam durat adhuc aqua fonte perenni,
 Quæ medicina ægris, si medicata precè.
 Æger aquam sumet? Spes concipienda salutis.
 Hauriet & mores? Cæta fit inde salus:

Idem Argumentum:

MIllia binâ hominum, dira quos lege Tyrannus
 Infensus fidei depulit urbe procul,
 Fessa labore gravi labris sitientibus undam
 Quærent: nec fluvio, fonte nec ulla venit:
 Exilio Clemens causa damnatus eadem
 Invenit optatam, quam prece ducit, aquam,
 Stantem mox oculis vidit scrutantibus Agnam,
 Qui fontem monstrat, quo, pede, calcet humum.
 Par fuit, ÆMILIANE, fides Tibi vota ferenti,
 Dum structa duplici deficit unda Domo.
 Namque salit lapides inter, quæ lymphæ, redundat.
 Ad communem usum provida utriusque loco.
 Provida adhuc, pretiosa magis, quæ fonte vetusto
 Semper inexhausto limpida dulce sapit,
 Si fidant ægri, sumant. Medicabilis illa est.
 Cum prece dum manat gutture, vita manet.

*Effigies Beati Hieronymi Æmiliani imi-
tatur Effigiem Divi Philippi Ne-
rii vulgari habitu pictam.*

Effigiem cernas HIERONYMI, & inde Philippi.
Discrimen faciunt non nisi signa duo.
Alma parens utrique offert se fronte serena:
Muneribus Matrem quam sibi uterque vocat,
Se major, spretis opibus, titulisque decoris
Spernendum variis se dat uterque modis,
Sollicitis curis puerorum quaeritur ætas,
Quam pio amore patris cultor uterque fovet,
Virtutum exemplar populis se præbet uterque,
Assiduoque hominum parta labore salus.
Nec tamen albescit frons ÆMILIANA capillis;
Damna sed ætatis pensat origo necis,
Quod si forte stupor quaerat, cur Lilia desint,
Candore æquato emicat hic lacrymis.

H Y M N U S.

Tempus elapsæ redimit juvenæ
Blanda fortunæ allicientis ore
Munera incautis studiis secutus
ÆMILIANUS.
Providæ cultor Pietatis illos,
Lege quos sancta superis placere

Cha-

Charitas monstrat, miseris frequentes
Exhibet actus.
Orphanos functo genitore utroque,
Ac manu nulla auxiliante egenos,
Colligit passim, miseranda multis
Agmina terris:
Ære conductis alimenta præbet
Ædibus: mores populo fideli
Congruos addit: simul & magistrōs
Quærit ad artes.
Virginum florem a rapiente servat:
Ac vagas tectis recipit puellas:
Fraudi & intentas Veneres pudenda
Amovet arte.
Hostis insensûs sibi; delicato
Corpori penis cruciat severis
Membra, jejunos, vigilans, flagellis;
Creditor usus.
Trina Personis Deitas, at unus
Qui es Deus natura, Animas redemptas
Excita sordes abolete flentis
More Beati:



G 3

Expj.

Explicatio Orationis, quæ a Sancta Sede assignata fuit in honorem Beati Hieronymi Æmiliani.

Deus misericordiarum Pater, per merita, & intercessionem Beati HIERONYMI, quem Orphanis adiutorem, & patrem esse voluisti; concede, ut spiritum Adoptionis, quo filii Tui nominamur, & sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum nostrum &c.

O Deus, atque Pater, cujus miseratio nunquam
 Stricta modis, numeris, finibus arcta later:
 Per merita illa, humili quæ corde HIERONYMUS offert,
 Perque ejus, semper quæ valere, preces;
 Orphana Te proles siquidem inspirante parentem
 Novit, quam juvit providus ære, manu:
 Da, quod nostra petunt ferventia vota, benignus;
 Namque Tuo jussu diceris esse Pater.
 Nempe si adoptasti nos dulci nomine Gnatos:
 Certa quod innumero signa favore probant;
 Spiritus hic, hic amor fervetur corde fideli,
 Inque dies sancto ferveat igne magis.
 Det robur precibus Tibi filius unus Jesus,
 Per quem hominum pretio sanguinis empta salus:
 Cui comes unanimi sensu hæret Spiritus Almus:
 Quos Tres æternum credimus esse Deum.


Sum-

Summus Pontifex in decreto Beatificationis laudat Congregationem, cujus in Clementino Collegio ipse Alumnus fuit.

O Rdinis Auctori vestri tribuenda Beato
 Laus si est Pontificis debita iudicio,
 Eiusdem vobis, vester quos laudat Alumnus,
 Iudicis ante fidem quis neget obsequium?

Laudabilis Congregatio, quæ laudatum orbe universo Pontificem in Clementino Collegio puerum educavit.

Nonne fodina ferax, educitur unde metallum,
 Quo pretiosius hoc, illa decora magis?
 Nonne magis spectanda oculis, mirandaque concha,
 Grandior unde venit candida gemma maris?
 Pontificis tanti si ex vobis splendida virtus,
 Vestra ergo, Patres, emicat alta gradu.



G 4

Bea.

*Beatus Hieronymus Æmilianus Filios suos
hoc Nomine, nempe Pauperum Famu-
los appellandos statuit.*

QUÆ est Humilis, Virtus, servili addicta labori
Quo plus vilescit, crescit honore magis.
Qui, Fraternalis amor, pietate ministrat egenis,
Mille auctus meritis præmia adaucta refert.
Ergo, Patres, vestrum gemina virtute coruscat
Nomen: & hinc vobis congeminatus honos.
Vos humiles certe famulantis imago fatetur
Officii: atque Pios provida cura probat.
Gens ideo mirata crebris vos laudibus effert.
Cælesti & merces ampla parata gradu.
ÆMILIANE, Tibi sincero gratulor ore.
Vox quot habet laudes Nominis una, vides.

Idem Argumentum.

SI ille Deo servit, quisquis famulatur egeno;
Facti hominis siquidem Pauper imago Dei est:
Si pariter servire Deo est regnare; ministris
Nam Rex regalem destinat ipse locum:
Ergo Suis Nomen sublime HIERONYMUS esse
Iussit, dum addixit Pauperibus Famulos.
Cælica jam Pietas illis affulget in ore:
Divina fervent pectora sacra face.
Nominis ergo vera hæc laus, quod quisque minister
Ex his Angelico est Angelus officio.

Idem

Idem.

QUI sponte est Pauper, tutor quoque Pauperis, addit
Cætum; Pauperibus qui ferat auxilium:
Nomen & imponit, quo provida cura notetur,
Sollicitus miseris qua famuletur amor.
Annon intuitu primo; atque examine nullo
Sanctum sancta probat tam pia Pauperies?
Una, triplex meritis: Eget: auxiliatur egenis:
Se quoque egenorum subjicit imperio.

Idem.

PAUPERIBUS servire humiles qui præcipit, Auctor,
Quæ facile attollit, vos docet ire via.
Facta via in Cælum. Pius elevat æstus amoris.
A natura habet hoc ignis, ut alta petat.
Alta petit fraternalis amor. Pietatis amore,
Qui sibi conformes, hos trahit Almus Amor.



Idem

In Beato Hieronymo Æmiliano perfecta hominis Renovatio trina Spiritus renovatione. Argumentum desumptum ex laudata Panegyri eloquentissimi Patris ejusdem Congregationis.

QUI ÆMILIANUS erat, non ÆMILIANUS habetur; Formam hominis delet, quæ fuit ante, nova. Moribus, Exemplis oh quam diversus ab illo, Qui læto auderet lubrica adire pede! Spiritus ante triplex justo Censore notandus, Dignus laude triplex Spiritus inde subit. Spiritus ille, dolis quem emollit blanda voluptas, Vertitur: atque asper mollia membra premit. Spiritus alter amans laudis, fastuque tumescens Spernit opes, titulos, gaudet & opprobriis. Tertius armipotens generoso percitus æstu, Inviæto studio fervet Apostolico. Sic novus ÆMILIANUS homo, dum Cælica spirat, Os gerit humanum; spiritum at Angelicum. Hæc addam auditis. Ergo, si Oracula Romæ Conticeant, sanctum jure probata canant, Revera si albente Polo lux dissipat umbras, Numquis adesse neget Sole nitente diem? Nec miror, quod adhuc non iussa imponeret Aris, Quem Sanctum nosset, relligiosa fides. Carolus hunc coluit, Ni falsus imagine divus, Qui colerent, Pietas fallere non potuit.

Idem

Idem Argumentum.

QUI victus, vicit: triplicemq; HIERONYMUS hostem, Ut triplici jacuit vulnere, stravit humi. Qui mollis: tumidus: ferroque ferociter ulus, Nunc patiens: humilis: zelo & Apostolus est. Labitur in culpas facile male cauta juvena. Prompta quod emergat, non facile esse putem. Quod Sanctum ulterius faciant Te, HIERONYME, mores, Prodigio simile est. Hoc ope Virgo potest.

Ad Lectorem

Hortatio, ut Historiam legat Reverend. Patris Stanislai Santinelli, qui Beati Patris sui admirabilem Vitam laudabiliter scripsit.

TE, qui hæc scripta legis, moneo. Legisse juvabit, Quam Santinellus protulit, Historiam. Doctrinis præstans, præclarus & Arte loquendi Pulchre Gesta Patris cum pietate refert. Ac memorans Hominis variantia tempora mores, Qua vice vita fluat, quæ male fluxa, docet, Et docet exemplo lacrymas celebrante Beati, Tensa Beatifico culpa quod imbre nitet, Vix perfecit Opus, fato quasi raptus acerbo Nos querulos tristi funere flere jubet.

Præ-

Præpetibus pennis at spiritus evolat altè:
 Amplexu dulci quem Pater alloquitur.
 Scribere movit amor si de me, Gnate; precari
 Pro Te animus suasit per cita vota melior:

In ejusdem Funere.

Qui scripsit de Patre suo laudanda, simulque
 Scriptorem dignum laudibus esse probat,
 Est Santinellus, sanctis, qui exempla secutus
 Patris, se exemplar moribus exhibuit.
 Ast, dolor! improba mors properato vulnere sternit:
 Scribere cessantem cedere Parca jubet:
 Quis furor? Exitiale vetant nec sidera crimen?
 Fallor; nam astra icu sollicitante favent:
 Scripta placent superis fonti argumenta salutis;
 Mercedem hinc subitam præmeruisse reor.

Circa ejus Historiam.

Legisti? Si purus adhuc; fuge blanda juventæ.
 At, si sons, penset damna secuta dolor.
 Nec quæras alium in medica magis Arte peritum:
 Ut serves, sanes, sat dabit historia:

Ad

Ad Reverendissimum Patrem Jo. Franciscum Baldinum R. C. Som. Præpositum Generalem.

Baldine, excelsi Præses nitidissime Cætus,
 Quem merita in primo constituere gradu,
 Ultima nostra Tuas celebrat dum pagina Laudes,
 Mens mihi, sis Operis lecta corona mei.
 Ut si a fronte regit venerando Nomine Præsul,
 Hoc in fine tegat Nominis umbra Tui.
 Excuses igitur, si incuset carmina Censor,
 Quod non erectis cursibus alta petant.
 Dic quæso inspexer, memoro dum gesta Beati,
 Non aciem ingenii; finis at ingenium,
 Hoc mihi propositum sincera pangere metro,
 Sincero unde homines pectore mella trahant.
 Quid laus ingeniosa valet jucunda legenti?
 Viribus elanguet suspiciosa fides.
 Historia eloqui studio minus apta movendo est.
 Vera, pia, ac simplex stante Deo illa movet.
 Tu facile præstes, quod posco. Nobile munus
 A Te sponte datum; Quod precor, ergo dabis.
 Discedens Urbe a Veneta dignaris honore,
 Quo exhibitio lætor, sed pudet immeritum.
 Sacra manus scripto me Fratribus aggregat ultro,
 Atque locum Caros inter habere jubes.
 Grandia lucra Animæ mihi quæris amore paterno,
 Munera, quæ Ordo piis conferat officiis.

Er-

Ergo favente libens defendes ore Libellum;
 Qui, si non digne, de Patre digna canit.
 Sic geminas duplici referam pro munere grates
 Pro Te, proque Tuis corde ferente preces:
 Perpetuumque Tui obsequium, cultusque Tuorum
 Esse animo memorem me duo signa probent.

F I N I S.



NOI

NOI REFFORMATORI
 Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fedè di Revisione, & Approbazione del P. Fra Paolo Tomaso Manuelli Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Beati Hieronymi Æmiliani &c. Admirabilis vita facili ad faciliorem captum, & progressum Elegiaco Carmine descripta*; non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteffato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Sebastian Coleti Stampator di Venezia, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. li 7. Ottobre 1749.

(Gio: Emo Proc. Ref.
 (f. Alvise Mocenigo Cav. Ref.

Registrato in Libro a Carte 13. al Num. 130.
Michel Angelo Marino Seg.

17. Novembre 1749.
 Registrato nel Magistrato Ecc. contro la Best.
Lauro Barrolini Seg.

